aliter obligandi, quàm utendo illis verbis; sed illis certam obligandi voluntatem explicat, ut talis non censeatur, quando illis verbis non utitur. Quare credo obligaturum sub mortali, quando præciperet non utens his verbis, sed apposita pœna exigente peccatum mortale, ut sub pœna excommunicationis latæ, vel ferendæ, vel maledictionis æternæ, vel maledictionis Dei, quia satis tunc explicat suam voluntatem. Et idem sentio, si præciperet in virtute Spiritus Sancti, quia perinde est, ac in nomine JESU Domini nostri; & *Cordubæ in reg. D. Francisci c.20. q.3. puncto 1. in 2.* modo cognoscendi quando præceptum obliget, ait, allegato Hugone, in religione sua Minorum esse usu receptum, ut præcepta non obligent sub mortali, nisi injuncta in virtute obedientiæ. In multis quoque congregationibus statutum est, & receptum, ut præceptum superioris non obliget ad culpam, quousque in virtute Spiritus Sancti, aut sanctæ obedientiæ aliquid præcipiatur, ut testatur *Vasquez 1. 2. q.96. art.4. disp.158. c.3. nu.24. & D. Anton. 2. p. tit. 4. c.2. §.3.* ait, Prælatos injungere volentes subditis aliquid tamquam necessario faciendum, solitos esse uti his modis, sub culpæ mortalis obligatione, vel sub interminatione maledictionis æternæ, vel in virtute sanctæ obedientiæ: *& 3. p. tit. 16. cap.1. §.9. ad finem*, dicit eos cùm volunt sub mortali obligare, uti his verbis, in virtute obedientiæ, vel Spiritus Sancti, vel sub pœna excommunicationis, vel carceris, vel alterius censuræ. Quare dum his, vel similibus verbis non utuntur, crederem ex communi usu non censeri eorum præcepta obligare sub mortali; & *Leonard. de just. lib.6. c.41. dub.9. n.76. vers. tertiò dicit*, ait, non censeri Prælatum religionis velle obligare sub mortali, nisi id aliunde constet, quando non præcipit in virtute obedientiæ; at censeri sub veniali, quando præcipit. Quod intelligo verum extra Societatem JESU, & ubi similis esset constitutio, & dum uteretur verbis præcepti, vel æquipollentibus præcepto. At in superioribus carentibus spirituali potestate, qui sic non possunt jubere, ut sunt parentes, & Abbatissæ, ut censeantur sub mortali obligare, satis est, ut materia sit gravis, & multum necessaria gubernationi domesticæ, vel monasterii ab ipsis intentæ, & verbis præcepti, vel æquipollentibus utantur, quippe aliter nequeunt suam voluntatem explicare.

71 Utrùm autem religiosus transgrediens præceptum superioris, aut regulæ constat duplex peccatum, alterum contra votum obedientiæ, alterum verò contra virtutem, in qua illa materia præcepta constituitur diximus *lib.4. capit. 11. num.25.*

72 Tandem id observandum est, quando in aliqua religione reservatur peccatum inobedientiæ, aut peccatum contra votum obedientiæ, non censeri reservatam inobedientiam, quæ non est mortalis contra virtutem obedientiæ, aut contra votum illud: quæ respiciunt præceptum superioris obligans ad mortale; ut quando præcipit in virtute obedientiæ, vel alio simili modo: quod si esset peccatum mortale per accidens, nempè propter contemptum, vel propter aliam circumstantiam extrinsecam mali finis, non censeretur peccatum illud comprehensum in reservatione, quia non est inobedientia, nec directè repugnat voto obedientiæ.

CAPUT V.

Qualiter religiosus ad perfectionem tendere obligetur.

SUMMARIUM.

Religiosus non tenetur esse perfectus, at tenetur tendere ad perfectionem, n.1.
An id tenetur juxta sola suæ religionis media, n.2.
Proponitur duplex difficultas disputanda, n.3.
An sit hoc speciale præceptum? referuntur ad probantia, n.4.
Explicatur sententia Auctoris, & solvuntur contraria, n.5.
Quando delinquatur contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem, proponitur duplex sententia, n.6. & 7.
Secularis proponens se consilia non servaturum, licèt id non faciat ex contemptu, peccat venialiter, n.8.
Religiosus proponens non servare alia præter ea, ad quæ tenetur ex voto, vel præcepto gravi, non peccat mortaliter eo ipso contra præceptum procuranda perfectionis, sed solum venialiter, num.9.
Peccat mortaliter religiosus contra præceptum tendendi ad perfectionem, si firmiter proponat illam non attingere, n.10.
Non peccat mortaliter contra hoc præceptum, qui non se disponit ad præcipua religionis munia, n.11.
An religiosus toties peccet contra hoc præceptum, quoties violat vota, & alias regulas, ad quas tenetur? n.12.

1 IN hac quæstione duplex conclusio admittitur ab omnibus. Prior est; quamvis religiosus non teneatur esse perfectus, & subinde nec omnia illa exequi quibus charitatis perfectio continetur; tenetur tamen ad id tendere, & operam dare, ut perfectionem charitatis comparet, eaque exequatur, quæ ad illam comparandam necessaria sunt. Utraque pars inde constat, quia status religiosus non est status perfectionis acquisitæ, sed est schola, & veluti progressus ad perfectionem acquirendam. Ergo illum profitens non tenetur esse perfectus, sed niti progredi ad perfectionem; quippe operanti ad finem non convenit ex necessitate, ut finem jam comparaverit, sed ut aliqua via ad ipsum tendere conetur. Et confirmatur, quia cùm status religiosus non sit status jam perfectus, sed via ad perfectionem, non significat illum assumens ipso assumptionis facto se perfectum esse; sed intentionem ad illam tendendi habere. Ergo non est mendax & simulator facto ipso, si perfectionem non consequatur, sed si illam consequi non intendat; ac proinde non peccabit non consequendo, sed non intendendo. Hanc tradunt *D. Th. 2. 2. qu.184. art.5. ad 2. & qu.186. art.2. corp. & art.9. corpor.* & in iisdem locis *Cajet. & Abulens. c.19. Matth. q.144. Astensis sum. 2. p. lib.6. tit.47. art.1. q.3. Carthus. de reform. claustral. lib.1. art.1. in fine, D. Ant. 3. p. tit.16. c.1. §.1. Angel. verb. religiosus, n.27. Sylvest. verb. religio 1. q.3. Armilla verbo religio, n.3. & ibi Tabien. q.4. n.7. ad finem, Navarr. commentar. 1. de regular. nu.10. dict. 10. Cordub. in regul. D. Francisci tar. 1. de regular. nu.10. dict. 10. Cordub. in regul. D. Francisci c.1. q.3. dict.2. Viguer. lib. institutionum c.17. §.1. vers.13. Azorius lib.11. tomo 1. institution. c. ult. qu.11. Valent. 2. 2. disput.10. qu.4. puncto 4. Bannez 2. 2. qu.33. art.3. dub.3. conclus.3. Manuel qq. regular. tom.3. q.48. art.1. ad finem, Beltram. tract. de voto paupert. c.3.*

2 Posterior conclusio est, Non tenetur religiosus niti ad perfectionem per omnia supererogationis opera ad illam acquirendam valentia, sed per illa, quæ sunt præscripta secundùm uniuscujusquè religionis regulam ad acquirendam charitatis perfectionem. Ratio est, quia neque Deus, neque Ecclesia, neque vota in religione emissa aliquid amplius ab eo petunt, quàm ut agat vitam regularem juxta suum institutum à Sede Apostolica approbatum. Nec finis religiosi status, qui est perfectio vitæ Christianæ comparandæ, exigit amplius, quàm ad eam niti per media instituti religionis, in qua quisque professus est, cùm satis perfectio hæc obtineri possit per media illa, utpote quæ tamquam sufficientia ad eum finem comparandum à Sede Apostolica sunt approbata. Et ita tradunt *D. Thom. 2. 2. q.186. art.2. corp.* & reliqui Doctores *n. præc.* allegati.

3 Est autem duplex difficultas. Prima, an præceptum hoc tendendi ad perfectionem, sit peculiare aliquod præceptum distinctum à præcepto servandi tria vota substantialia, & alia in regulis religionis præscripta: an potiùs sit generale quoddam imbibitum in illis sicut præceptum servandi mandata, & non peccandi, & quo quisque tenetur esse bonus, non est speciale aliquod præceptum distinctum à præceptis peculiaribus, sed imbibitum in illis. Posterior difficultas est, quando peccetur contra hoc præceptum.

4 Circa priorem difficultatem, videtur esse peculiare præceptum nitendi ad perfectionem distinctum à præceptis servandi vota, ac observantias regulares. Quia si esset generale imbibitum in illis, falsò dicerent Doctores *nu.1.* relati, religiosum non teneri esse perfectum, sed tantùm niti ad perfectionem, illamque intendere. Nam non tantùm tenetur niti ad votorum, & regularum observantiam, sed ea quoque servare tenetur, sicut quilibet fidelis non tantùm tenetur niti cavere mortalia, & servare præcepta, sed tenetur quoque ad illa opere præstanda. Non ergo est generale præceptum, instar illorum, sed peculiare aliud distinctum. Secundò, quia hujus præcepti datur peculiaris actus, ad quem obligat, & per cujus solum defectum, ejus transgressio contingit, nempè ita procurare perfectionem, ut non revocet religiosus propositum illius procurandæ, illam contemnendo. Ergo est præceptum peculiare. Tertiò, quia si esset præceptum generale instar aliorum, peccaretur contra hoc præceptum, quoties ex quacumque causa adest peccatum contra vota, & alias observantias regulares; sicut contra prædicta generalia præcepta peccatur ex quavis causa violato divino præcepto: at non est reus hujus præcepti religiosus in his delinquens ex quavis causa, dummodò retineat propositum tendendi ad perfectionem, ut tradunt *Cajet. 2. 2. q.184. art.5. in fine, Tabien. verb. religio 4. n.5. ad finem, Cordubæ in reg. D. Franc. c.1. q.3. dicto 3.* Et ratio est, quia non tenetur religiosus esse perfectus, sed animum tendendi ad perfectionem habere: Non ergo peccat contra hoc præceptum, dum retinet hoc propositum; atque adeò hoc erit speciale distinctum præceptum; & ita videntur sentire Doctores proximè allegati.

5 Oppositum tamen judico probabilius. Primò, quia ut *num. 2.* diximus fatentur omnes non teneri aliter religiosum ad perfectionem tendere, quàm amplexando vota, & alia suo statui annexa. Ergo signum est, non esse hoc præceptum distinctum à præcepto servandi illa. Et confirmatur, quia *Cajetan. 2. 2. qu.186. articulo sexto, paulò post principium, & Cordub. in reg. Div. Franc. cap.1. quæstione 3. dicto 3. vers. Unde resolutoria, & Valent. 2. 2. disputatione 10. quæst. 4. puncto quinto, columnæ penult. vers. atque ex eodem fundamento*, tradunt, contemptum regulæ, & hujus obligationis tendendi ad perfectionem, adeo esse connexa, ut unum absque altero consistere nequeat, eo quod religiosus non aliter ad perfectionem teneatur, quàm servando regulam: atque adeò dicunt fieri non posse, ut intendat servare regulam, quin intendat ad perfectionem tendere, nec è contra. Ergo signum est, hoc non esse peculiare aliud præceptum distinctum. Secundò, quia, ut clarè constat ex ipsa littera, & sentit *Azor. lib.11. instit. moral. c.ult. q.11. vers. in*

hac itaque, D. Thom. 2. 2. q.186. art.2. ad 2. & ibi Cajetan. §. ad evidentiam horum, loquuntur eodem modo de religioso, quo de eo, qui talis non est, dicentes utrumque teneri ad perfectionem juxta suum statum procurandam, observando sui status præcepta, & consilia non contemnendo, & probat *D. Thom.* quia omnibus dicitur *Ecclesiastici 9. Quodcumque potest manus tua, instanter operare.* At nullus dicet id præceptum in sæcularibus esse peculiare aliquod distinctum à præceptis aliis, quibus juxta leges omnibus Christianis communes, & peculiares sui status quilibet tenetur. Ergo idem dicendum est de hoc præcepto respectu religiosi. Tertiò, quia si esset distinctum præceptum tendendi ad perfectionem secundùm regulas, & vota, religiosus violans quodcumque ex illis votis, duplex mortale contraheret: alterum contra votum, & alterum contra hoc præceptum. Sicut quia sunt duo præcepta, alterum non fornicandi, & alterum servandæ castitatis promissæ, est duplicis culpæ reus fornicans; nec valet dicere, hunc fornicantem posse retinere propositum tendendi ad perfectionem, quo reteuto non itur contra hoc præceptum tendendi ad illam; quippe re vera voluntariè facto ipso, it contra illam obligationem, qua tenetur niti ad perfectionem secundùm regulas, & vota cùm voluntariè eligat voti transgressionem. Sicut si præceptum non anteponendæ creaturæ ipsi Deo, esset aliquod peculiare, nec in aliis imbibitum, peccans mortaliter in quacumque peccati specie, esset duplici culpæ obnoxius; alteri illius speciei, in qua specialiter delinquit; alteri verò quòd creaturam, quam sic peccando elegit, præposuerit facto ipso Deo, transgrediens Dei legem ob illius creaturæ affectum, quamvis non habuerit hunc voluntatis actum, volo Deum creaturæ postponere. Tandem, quia præcepta, & culpas non oportet absque rationibus urgentibus, & valde necessariis multiplicare, utpotè quod res valde odiosa est. At rationes contrariæ non urgent. Nam ad primam respondetur negando antecedens; nam observare vota, & regulares observantias non est hominem esse perfectum quod consummatum charitatem perfectamque virtutum acquisitionem petit: sed est applicare media ad hanc perfectionem adipiscendam, atque adeò est tendere ad perfectionem. Et ideo jure optimo dixere Doctores teneri religiosum servare vota, quod est tendere ad perfectionem, non tamen teneri esse perfectum, quod quid amplius quàm ea servare importat. At diversa est ratio in præcepto servandi mandata, & quo quis tenetur esse bonus; nam id præceptum importat solam à peccato transgressionis mandatorum fugam: ac proinde idem est teneri esse bonum, & teneri non transgredi præcepta. Ad 2. respondetur, non omnia præcepta habentia peculiarem actum, quo violantur, esse specialia, & non generalia inclusa in aliis. Nam præceptum servandi mandata, & obediendi Deo, & quo quis tenetur esse bonus, sunt generalia inclusa in aliis, & tamen violantur hoc speciali actu, nolo servare mandata, vel esse bonus, vel obedire Deo: is enim actus contra nullum aliud speciale præceptum tendit. Sed ut si sit speciale omninò præceptum in nullo alio imbibitum, necesse est, ut ejus transgressio opponatur alicui speciali virtuti; nec sufficit opponi honestati generali, cui actus ille genericus, nolo esse bonus, nolo obedire Deo, nolo servare mandata, opponitur. Ad 3. respondetur non obstare doctrinam Cajetani, & aliorum ibi allatam, quia eam impugnabimus *numero ultimo.*

6 Posterior difficultas est, quando delinquatur contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem, quod non ita clarè ex Doctoribus constat. Nam *D. Thom. 2. 2. q.186. art.2. in fin. corp. & in solut. ad 1. & 2. & art.9. corp. & Cajetan. eo artic.2. circa solut. ad 2. §. ad evidentiam horum, & eo artic.9. paulò post princip. D. Anton. Ang. Armil. Valent. allegati num.1.* expresè dicunt, huic præcepto tunc temporis contravenire, quando est contemptus consiliorum, quibus pervenitur ad perfectionem. *Et Cajet. eo art.9. paulo post principium, & Valent. 2. 2. disp.10. q.4. punct.5. col. penult. §. atque ex eodem fundamento*, explicant hunc contemptum esse, quando religiosus ideo regulas transgreditur, quod nolit illis subjici, & ideo esse quoque regularum contemptum. Quare concludit *Valent.* hunc contemptum esse velut quamdam religiosi à suo statu apostasiam: & idem *Cajet. eo art.2. §. ad evidentiam horum*, eum contemptum consiliorum explicat, quando contemnitur ipse Deus ea consilia præstans nempè, quando homo refugit subjici consiliis divinis, & perfectiori vitæ, ut à Deo traditis. Contemptus enim Dei est, nolle subjici regulæ divinæ. At si quis inquit spiritualem profectum, & divina consilia, ut à Deo tradita revereretur, sed quia tenetur ad illa, nec sunt necessaria ad salutem, non vult illa amplecti, nec curat de illis servandis; talis non contemnit Deum, sed potiùs operum executionem, ac per hoc non peccat mortaliter, sed solùm venialiter ex hujusmodi incuria deliberata, quæ nonnullus contemptus est omittendo intentionem, & executionem profectus spiritualis, & operum bonorum, quæ facere posset. Hæc Cajetanus ibi: Et quamvis non loquatur apertè de religiosis, sicut nec de sæcularibus, at loquitur universaliter de omnibus: nam sub signo universali proponit quæstionem: & *D. Thom. ea solutione ad 2.* quam ibi explicat, loquitur de religiosis, & sæcularibus; & ita intelligit ipsum Cajetanum *Azor. tom.1. lib. 11. instit. moral. c. ult. q.11. & ipsemet Cajet. eo art.4. paulo ante Summa Th. Sanchez Pars III.*

prædictum locum, vers. ad hoc dicitur; se statim dicturum inquit de transgressione mortali, & veniali facta à religiosis; *& Valent. 2. 2. disp.10. q.4. punct.4.* ait, nomine ne hujus contemptus non intelligi negligentiam executionis consiliorum, nec propositum, quo quis statueret non servare aliqua, vel etiam omnia consilia: ejusmodi enim propositum in eo, qui nullum opus consilii illius novisset, non esse mortale. Sed concludit tria posse nomine contemptus horum consiliorum intelligi in proposito. Primum est, si quis parvi æstimaret ipsum divinum consilium, ut à Deo proficiscitur, qui contemptus esset mortalis tam in religiosis, quàm in sæcularibus, utpotè qui esset irreligiositas, & magna irreverentia erga Deum. Secundum est, si quis parvi æstimaret opera ipsa consiliorum: etiam attendendo genus, & naturam illorum; ita ut illa secundùm se vilipenderet, qui contemptus similiter in omnibus hominibus esset mortalis contra religionem, quatenus id in Dei ignominiam cedit, qui talia opera tamquam res magni momenti, consuluit. Tertium est, quando ex superbia quis dedignaretur ita se Deo subjectum esse, ut ab eo consilia accipiat, atque ita consilia ipsa animo aversaretur, quod etiam esset mortale in quolibet. Hæc *Valentia*; Præterea quidam, quos tacito nomine refert *Azor. lib.11. instit. c. ult. q.11. vers. Jure tamen* contradicunt dicentibus, mortalem perfectionis, & consiliorum contemptum esse in Doctrina *D. Thom.* quando religiosus eo animo affectus esset, ut nullum consilium exequi vellet, præter illa jam à se suscepta vi voti instituti, & regulæ. Ducuntur, quia, ut diximus *n. præced.* in secunda ratione, eodem modo loquitur *D. Thomas* de religioso, & de eo, qui talis non est, & utrumque dicit tunc peccare, quando consilia, & progressum juxta illa contemnit. At sæcularis solis præceptis contentus, intendensque nulla consilia servare, non quasi renuens Deo illorum Auctori subjici, sed quia ea non obligant, nequaquam dicitur ea contemnere, nec peccat mortaliter. Ergo idem dicendum est de religioso. Et sic dico, tunc tantùm religiosum consilia contemnere, quando tamquam vana, & inutilia ea amplecti non vult: secus, si ea sola ratione ductus omittat, quia videt consilia sibi non præcipi. Et ipsemet *Azor. ea q.11. in fine* ait, eum dici consilia contemnere, qui ea prætermittit, tamquam inutilia, aut quia sunt à Deo proposita, & data.

7 Pro contraria autem parte sunt *Sylv. verb. religio 1. q.3. Tabiena verb. religio, q.4. n.5. ad finem, Cordub. in regula D. Franc. c.1. q.3. dict.3.* ubi dicunt, aliud esse contemnere perfectionem, & consilia, quibus ad illam pervenitur, & aliud peccare ex illorum contemptu. Quippe peccare ex illorum contemptu, est illa omittere, eo quod omittens subjici illis, ut à Deo traditis, nolit. At contemnere, est non æstimare; quare dicunt cum religiosum perfectionem contemnere, qui animum habet non tendendi ad illam, seu in animo habet ad perfectionem progressum, & gradum non facere; etsi talis non peccet ex contemptu, sed ex negligentia, vel cupiditate, vel ex alia causa. Unde tunc concludunt accidere hunc mortalem contra præceptum tendendi ad perfectionem contemptum, quando religiosus apud se statueret tantummodo omnia peccata mortalia cavere, præceptis omnibus sui instituti, & voti servatis, & consilia omnia prætermittere. Et hanc esse mentem *D. Thom.* contendunt, nusquam enim dixit exigi, quò religiosus sit hujus præcepti reus, ut ex perfectionis contemptu peccet, sed tantùm, ut perfectionem contemnat. Quibus favet *D. Thom. 2. 2. qu.184. art.5. ad 2.* quem sequuntur *Astens. Div. Anton. Angel. & Sylvest. n.1.* allegati, ubi ait, religiosos esse esse mendaces, & simulatores facto ipso, quoties à perfectionis assequendæ, quam statu religioso profitentur, proposito animum revocant. Ubi *Cajet. n fine, Navarr. commentario 1. de regular. n.10.* censent *D. Thomam* in hoc loco sentire, tales religiosos peccare mortaliter. Et potest probari, primò, quia alias nihil discriminis esset inter religiosos, & sæculares, cum utrique peccent mortaliter, si consilia ex eorum contemptu solis contenti præceptis omittant: & sic vanum esset, quod tradunt omnes, ut diximus *nu.1.* religiosum teneri ad perfectionem tendere, eo quod status religiosus schola perfectionis acquirendæ sit, & quasi via & progressus ad illam. Falsum quoque esset, quod proximè retulimus ex *D. Thom.* & aliis, eos fore mendaces, & simulatores, si non intendant perfectionem, quam statu suo eo ipso profitentur; si enim non tenentur plus quam sæculares, nemo hos mendaces dicet, eo quod illam nos intendant. Secundò, quia *cap. præced. num.18.* diximus peccare mortaliter religiosum proponentem non servare communiter præcipuas suæ religionis regulas, etiamsi illas non contemnat, nec illæ sub mortali obligent: quod non esset verum, si tantùm esset mortalis transgressio, quando ex contemptu procederet.

8 Prima tamen conclusio sit. Quicumque secularis sola præceptorum observatione contentus proponeret se consilia non servaturum, non ex eorum contemptu, sed eo quod sibi præcepta non esse norit, peccat venialiter; quod peccatum non consistit in omissione consiliorum, sed in ea firma animi deliberatione contra consilia; quippe etsi liceat omittere consilia, at fas non est animum deliberata actione, & proposito contra consilia firmare, ne aditus Spiritui Sancto semper ad meliora promoventi obstruatur; Non est autem mor-

mortale, quia res non est ita gravis, cum consilia illa non obligent, nisi ut non contemnantur; idque constat, quia votum majorem animi firmitatem importat, quam simplex propositum, & tamen votum non servandi consilia solum est veniale, ut diximus *lib.4. hujus tractatus, cap. 8. n. 5.* At solùm erit mortale quando ex contemptu omitterentur, ut dictum est. Prædictum verò propositum contra consilia esse veniale constat, quia illud dissonat rectæ rationi, & ipsorum consiliorum institutioni. Et ita docent *Cajet. 2. 2. qu. 186. art.2. §. ad evidentiam horum*, *Cordub. in exposit. regul. Div. Francisci c.1. q.3. dub.ult.* quod *ibi* de hac re movet, §. *quoad secundum*, *Valent. 2. 2. disp.10. q.4. col.1. versic. est autem notandum*, *Azor. lib.11. instit. moralium c. ultima*, *quæst. 11.* Quod si objicias; actus voluntatis in tantum est malus, in quantum ejus objectum est malum; at omittere omnia consilia, servatis solis præceptis, quod est objectum illius actus voluntatis proponentis firmiter ea non servare, non est peccatum, cum ea non obligent: ergo nec intendere omittere. Secundò, peccatum non est, nisi præceptum aliquod violetur; sed nullum est præceptum obligans ad consilia; ergo nec obligans ad voluntatem ea exequendi: ac proinde intentum ea non exequendi, vacabit culpa. Respondetur ad primum, majorem non esse universaliter veram; quia stat objectum non esse malum, & tamen actum voluntatis aliunde iniquum esse, quia non servat debitam proportionem in modo intendendi ad objectum, ut si rem bonam ob malum finem, vel malè, vel negligenter appetat. Ad secundum, neganda est ultima consequentia: quia etsi nullum præceptum sit obligans ad ea consilia exequenda; est tamen præceptum prohibens id propositum ea non servandi.

9 Secunda conclusio. Nec religiosus peccat mortaliter contra præceptum tendendi ad perfectionem, si firmiter proponat exequi quidquid vovit, & omnia præcepta regulæ, & superiorum obligantia sub mortali; at reliqua consilia, quæ sic non obligant, omittere: sed tantùm peccabit venialiter tunc contra id præceptum. Dixi, non peccare mortaliter contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem per propositum supra dictum: quia peccabit aliunde mortaliter ob periculum transgressionis votorum, & defectus perseverantiæ, ut amplius explicuimus *cap. praced. num.18.* Tunc autem erit mortale contra id præceptum, quando ex contemptu id faceret modis explicatis, *n.6.* Ducor ex traditis *n.7.* ubi Auctores attuli expresè hoc sentientes; & colligitur apertè ex Doctrina *D. Thom. 2. 2. q.186. art.2. corp. & ad 1. & 2.* ubi dixit *D. Them.* peccare contra hoc præceptum religiosum contemnentem perfectionem, & numquam qualitatem culpæ explicuit. Quod cautè factum ait *Cajetan. ibi §. ad hoc dicitur*, quia potest contemptus ille esse venialis, & mortalis; & postea §. *ad evidentiam horum*, explicat esse mortale, quando est simplex contemptus, eo quod consilia omittere religiosus intendit, quia eis subjici non vult, ut à Deo traditis. Veniale autem quando est nonnullus, & imperfectus contemptus, eo quod novit ea consilia sibi non præcipi. Ejusdem sententiæ videtur *Azor. tomo 1. lib.11. institut. moralium cap. ult. qu. 11.* etsi non ita clarè loquatur, nec explicet qualis culpa sit id propositum, quando non est ex contemptu consiliorum. Ducor, quia nulla ratio urget ad damnandum id simplex propositum tamquam mortale, contra præceptum tendendi ad perfectionem; nam eo ipso quod vult omnia vota, & sibi in regula, & à superioribus præcepta exequi, vult ad vitæ perfectionem progredi, & consilia multa Evangelica servare. Nam etsi ratione voti sint jam sibi præcepta, & non consilia, at spontè illam obligationem suo voto sibi suscepit ultra communis cæteris Christianis præcepta, & sic non notabiliter, sed leviter à perfectionis proposito deficit, dum cætera, quæ in regulis, & à superioribus præscripta non sunt, proponit non servare absque eorum contemptu, cùm perfectio essentialis, quam profitetur religiosus, & ad quam directè, & graviter se obligat, in solis prioris generis observantiis consistat. Item quia ad cætera servanda non obligatur sub mortali, sed tantùm, ne aditum Spiritui sancto inspiranti meliora, occludat, firmando propositum contrarium. Quæ ratio (ut *num. praced.* diximus) solam culpam venialem concludit. Præterea, quia idemmet *Sylvest. verb. religio 1. q.3. & qu. 12. partic.4.* ait, non esse religiosum in malo statu, quamdiu ei placet unum medium, quod ad perfectionem tendat, eo quod non teneatur currere ad perfectionem. At huic religioso placet hoc medium, quod non est parvi momenti, nempè observantia votorum, & præceptorum regulæ, & superiorum obligantium ad mortale. Et *Cordub. in regula D. Franc. c.1. q.3. dicto 2.* ait religiosum non teneri ad procurandam perfectionem, nisi secundùm modos suæ regulæ, & ut in illa proponuntur, scilicet sub obligatione, vel sub consilio; ergo, si omittere intendat non obligans sub mortali, non erit reus hujus præcepti. Tandem, quia rationes contrariæ allatæ *num.7.* non probant contrarium; nam ad doctrinam priorem *D. Thomæ* respondetur. Esto aliud sit contemnere, & aliud peccare ex contemptu, & *D. Thom.* solùm dixerit contemnentem perfectiorem peccare; at non dixit id peccatum esse mortale, quasi sentiens aliquando esse mortale, & aliquando veniale, ut proximè ex *Cajetani* mente ponderavimus. Ad aliam doctrinam *D. Thomæ* dico, non constare ex ea illum censuisse esse mortale, revocare animum à proposito perfectionis acquirendæ, quia etsi sit mendacium in facto, at nulli perniciosum est, & ita erit ex ea parte veniale. Et si intelligat de mortali culpa, intelligendus est, quando contemnit perfectionem modo explicato, ut ipsemet postea *q.186. art.2.* juncta doctrina *Cajet.* citata, se explicat. Ad primam rationem respondetur, discrimen in hoc consistere, quod sæcularis non tenetur ex suo statu ad aliqua consilia Evangelica, sed ad sola præcepta fidelibus communia. At religiosus tenetur ad multa, quæ sæcularibus sunt consilia, ad quæ spontè suis votis se obstrinxit, & ita ille nolens servare hæc consilia (secluso contemptu) non peccabit mortaliter. At religiosus utique mortaliter peccabit, etsi non adsit contemptus; & ita tenetur sub mortali illa servando, ad perfectionem tendere; id tamen utrique commune est, ut si contemptu illa ommittant, peccent mortaliter. Ad 2. constat ex dictis initio hujus conclusionis.

10 Ultima conclusio. Peccat quoque mortaliter religiosus contra hoc præceptum tenendi ad perfectionem, si servans regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religiosæ, neque finem per illam intentum, quia licèt non teneatur attingere, tenetur tamen non habere actum contrarium, scilicet, propositum non attingendi per talia media; alioquin frustra apponeret media cum intentione repugnante fini, ad quem talia media ordinantur. Ita docet *Cordubæ in regula D. Francisci, cap.1. q.3. post 3. dictum vers. sed utrum similiter*, & licèt non expliciter id esse peccatum mortale, ac manifestè loquitur de peccato mortali, cùm dicat hunc similiter peccare, ac illum, qui contemnit perfectionem, quem *eo 3. dicto* asseverat peccare mortaliter. Quæ etiam doctrina consonet dictis *cap. prec. num. 22.* ubi diximus aliquibus citatis, esse mortale, æquivalereque contemptui transgredi regulas ob eam causam impediendi illarum finem.

11 Ex dictis deducitur, minus verum esse quod tradit *Banez 2. 2. q.33. art.3. dub.3. concl.3.* ubi ait teneri religiosum sub mortali ex vi hujus præcepti disponere se, ut sit idoneus ad potissima sui ordinis munia; quia caret fundamento, & solùm teneatur ex vi hujus præcepti ad explicata duplici conclusione præcedenti.

12 Secundò deducitur, non esse veram doctrinam quam ex *Cajet.* & aliis retulimus *n.4. arguun.3.* asserentem religiosum violantem vota, & observantias regulares, non peccare contra præceptum tendendi ad perfectionem, dum animum retinet procurandi perfectionem; ea enim doctrina falsa est, ut ostendimus, *n.5.* quia religiosum observare vota, & præcepta suæ religionis, est tendere ad perfectionem eo modo, quo tendere tenetur; atque adeò non observare votum aliquod, vel præceptum, est non tendere ad perfectionem. Licèt ergo animum habeat tendendi ad perfectionem in aliis occasionibus, in illa tamen, in qua peccat, præceptum violat, quo tenebatur procurare perfectionem, evitando peccatum illud.

CAPUT VI.

Qualiter religiosus ad Episcopatum, aut Cardinalatum, aut beneficium aliquod Parochiale promotus teneatur ad vota religiosi status, & ad alias observantias regulares.

SUMMARIUM.

An Episcopus absolvatur à castitatis, & obedientia voto? refertur quædam sententia? n.1.
Sententia Auctoris, n.2.
An peculiari obedientia hoc voto religionis teneatur obedire Pontifici, & an mutetur in hanc obedientia debita Prælatis religionis? num. 3.
An possit reduci ad religionem à Pontifice? n.4.
Quid possit Pontifex virtute illius voti præcipere religioso Episcopo? num. 5.
An religiosus creatus summus Pontifex maneat astrictus eisdem votis? num. 6.
An voto paupertatis liberetur, & sit dominus redditiuum Ecclesiasticorum? refertur quædam sententia, n.7.
Refertur sententia Auctoris, n.8.
Quid de religioso creato Pontifice, & an possit testari? n.9.
An integrum sit religioso Episcopo testari, aut ipsi religioso, & beneficiario proximo morti donare? n.10.
Si impetret testandi licentiam quid teneatur explicare Pontifici? num. 11.
Qualiter Papa possit concedere hanc facultatem, & qualiter ea intelligatur, & an possit hic revocare testamentum, & morti proximus donare? n.12.
An religiosus Episcopus, aut beneficiarius teneatur restituere quæ prodigè consumit, & recipiens ab ipso? n.13.
An possit religiosus Episcopus, aut beneficiarius ita amplè disponere de suis redditibus, ac benefiarius secularis; & an aliunde quæsita quam ex beneficio, vel quæ parciùs vivendo habuerit, possit pro libito expendere, & illad remissivè; an possit Abbas imponere illi pensionem? n. 14.

An

An religiosus Episcopus teneatur ultra tria vota substantialia ad alia vota, quæ juxta varia religionum instituta in professione mittuntur? n.15.
An reus voterum substantialium, puniendus sit juxta præscriptum regulæ? n.16.
An subjaceat pœnis regulæ eam transgrediens? n.17.
Ad quas observantias regulares teneatur religiosus Episcopus? num. 18.
An teneatur ad eas debito legali, & sub culpa? n.19.
An possit vesci carnibus in regula interdictis, quando Nativitas Domini incidit in sextam feriam? n.20.
An teneatur habere socium sui ordinis? n.21.
An teneatur deferre habitum sui ordinis? n.22.
An incurrat excommunicationem c.2. ne clerici, vel monachi, in 6. illum omittendo? n.23.
An possit esse patrinus Baptismi, vel Confirmationis? n.24.
An teneatur ad officium divinum juxta suæ religionis præscriptum? num. 25.
An hæc omnia vera sint de Episcopo, cujus Episcopatus est nuper à Turcis occupatus? n.26.
Quid de Episcopis annularibus, seu titularibus? n.27.
Quid si monachus Episcopus deposuit Episcopatum? Refertur quædam sententia, n.28.
Sententia Auctoris, n.29.
Quid si degradatur? n.30.
An si depositus redeat ad monasterium, indigeat novo voto obedientiæ? num.31.
A quo tempore Episcopus religiosus eximatur ab obedientia Prælatorum regularium, & regularum? n.32.
An religiosus Episcopus fruatur privilegio religionis? n.33.
An hactenus dicta de religioso Episcopo, habeant verum in religioso Cardinali? n.34.
Quid in religioso ad Abbatiam, aut aliam dignitatem promoto? num. 35.
Quid de religioso promoto ad beneficium parochiale, etiam post beneficii depositionem; & an incurrat excommunicationem non portans habitum sui ordinis? n.36.
An si indigeat dispensatione, possit ipse vel alius cum eo dispensare? num. 37.
An debet recitare juxta ritum suæ religionis? n.38.
An teneatur habere socium sui ordinis? n.39.

1 PRimò de religioso creato Episcopo erit sermo. Deinde de ipso creato Cardinali. Ultimò de ipso creato parocho. Et primùm agemus seorsùm de tribus votis substantialibus. Deinde de aliis peculiaribus, quæ in aliquibus religionibus juxta illarum institutum solent emitti. Denique de aliis observantiis regularibus. Et quidem *Angles flor. 2. p. qu. unica de voto, art. 2. post 13. difficult. dub. 5.* ait, religiosum creatum Episcopum absolvi à voto obedientiæ, & paupertatis, solaque castitatis annexæ ordini sacro obligatione ligatum manere; idque non probat. At probari potest ex *cap. unico 18. qu.1.* ibi: *Monachus quem canonica electio à jugo regulæ monasticæ professionis absolvit*: ergo liber manet. Secundò, religiosus non vovet obedientiam qualemcumque, sed secundùm regulam: at manet liber ab omnibus regulæ præceptis, ita ut ex solo honestatis debito ad illa teneatur, & transgrediens nullius culpæ reus sit (ut dicemus *num. 19.*) ergo manet liber à voto obedientiæ. Si enim vis voti obedientiæ maneret, peccaret utique mortaliter contra votum transgrediens ea præcepta.

2 Cæterum absque dubio tenendum, religiosum creatum Episcopum in primis non absolvi à voto castitatis, nec etiam à voto obedientiæ, sed hoc quodammodo limitari, quia absolvitur ab obedientia Prælatorum regularium. & hoc est quod deciditur *cap. unico* quod *num. praced.* allegavimus pro contraria sententia. Probatur, quia hic manet verus religiosus, ut fatentur omnes, idque demonstrat obligatio gestandi habitum, qua rectè adstringitur (ut dicemus *n.22.*) At hæc vota sunt essentia status religiosi *c. cùm ad monasterium, in fine de statu monach.* ergo manet adstrictus his votis. Secundò, quia nulla est necessitas dispensandi cum illo in his votis, utpotè quæ cum oneribus status Episcopalis non pugnant, nec ipsum dedecent, imo ipsum tamquam statum perfectissimum juvant, & valde decent. At Ecclesia nequit absque justa causa in illis dispensare: ergo non dispensat eo ipso quod religiosus ad statum Episcopalem promovetur. Tandem, quia etsi Generalis religionis nulli superiori religionis obedire teneatur, sed soli Pontifici, non ob id liberatur obedientiæ voto, cùm id per accidens sit, eò quòd superiorem alium non habet, obedientia enim respicit superiorem, dum superior est, & cessat, eo cessante. Ergo idem dicendum est de Episcopo: per accidens enim superioribus religionis parere non tenetur, eò quòd sui superiores ampliùs non sunt, sed assumpto eo statu, eximitur ab eorum subjectione, solique Pontifici summo subditur. Et ex dictis constat ad primum fundamentum contrarium. Ad secundum autem constabit ex dicendis *num.5.* & ideo hujus sententiæ sunt *Div. Thom. 2. 2. qu.88. art.11. ad 4. & qu.185. art. 8. corp. ad 3. & 4. dist.38. q.1. artic.4. quæstiuncula 1. ad 5. Div. Bonavent. ibid. art.2. quæst. ultim. ad ultim. & ibi Paludan. q. quarta, conclus. undecima, numero 49. Ricard. art.9. qu.1. ad 1. 2. partis, & Majoris ibi, qu. vigesima, argum. 3. contra 1. conclusion. Supplementum Gabrielis ibi, qu.1. art. ultimo, columna penultima, Palacios ibidem, disputatione 1. fol.834. pag.1. initio Bald. authent. licentiam num.3. C. de Episc. & cler. Nicolaus de Ubaldis de succes. ab intestato*, ubi de successione regularium *p.1. nu.4. Turrecremata c. de monach. 16. qu.1. n.3. Cajet. opuscul. tom.1. tractatu 25. de obligat. & observantia præceptor. qu.2. & 2. 2. qu. 185. artic. 8. dub.2. Abulens. cap.30. Numer. q.109. Div. Antonin. 3. p. tit.20. cap.2. §.2. Angel. verb. monachus num.7. Rosell. verb. religio 1. num. septimo, Syl. verbo religio 6. quæst. 10. Armil. verb. Episcopus numero 8. Guillelm. Bened. in cap. Ruynutius verb. mortuo itaque testatore, el num. 301. Sot. lib. ultimo de justitia qu. ultima, art. ultimo, colum. 3. vers. de singulis ergo Navarr. lib.3. cons. tit. de regular. in 1. editione, cons.15. n.11. in 2. tit. de donationib. cons.6. n.11. & commentar.3. de regularibus, num.46. & libr. de reddideib. in nova editione qu.1. monit.9. num.1. Covarruv. cap. primo, num. 18. de testament. Angul. de meliorationib. lib.1. gloss. 3. num. 14. in secunda editione, Viguer. lib. institut. cap.17. §. 1. versic. 21. Cordubæ in reg. Div. Franc. cap.2. qu.20. punct. tertio, Aragon. 2. 2. qu.88. artic.11. fol.1036. columna 1. Azor. tomo 1. institutionum moralium, lib.12. cap.7. qu.1. Henriquez lib. 10. de sacram. ordin. cap.32. num. 5. & c.33. in fine, Valenz. 2. 2. disputatione 10. qu. 3. punct.8. vers. secundò certum est, Leonard. libro secundo de justit. cap.40. dub.14. num.113. Emmanuel Sà summ. verb. Episcopus num.1. Vasquez 1. 2. qu.96. artic.4. disputatione 165. cap.8. num.93. ad finem, Manuel Rodrig. secundo tomo summæ, cap.10. num.4. Petrus de Ledesma 2. tomo summ. tract.10. c. ultim. dub. 2. ad 4. fol.1211. Fulvius Pacian. cons.132. numero 56. volum. 1.*

3 Hinc deducitur, religiosum creatum Episcopum manere obligatum obedire Pontifici peculiari voto obedientiæ, ultra generalem ab omnibus fidelibus obedientiam ipsi debitam, & ultra peculiarem debitam ratione juramenti obediendi ipsi, quod omnes Episcopi præstant. Quod in propriis terminis tradunt *Henriquez lib.10. de sacram. ordin. c.33. in fine. Suar. tom.2. de relig. tract. de voto lib.6. c.7. n.10.* & clarè colligitur ex *D. Bonavent. & Ricar.* dicentibus, obedientiam debitam Prælatis religionis, deberi post Episcopatum Papæ; ex *Sot. & Emmanuel Sà, Petr. de Ledesma* dicentibus, mutari obedientiam Prælatis debitam in obedientiam ipsi Pontifici; & ex *Palac. Arag. Valent. Vasquez* dicentibus, non liberari religiosum factum Episcopum voto obedientiæ respectu Pontificis. Quos omnes retuli *n. praced.* qui meliùs loquuti sunt, quàm *Sotus, Emmanuel Sà, & Petr. de Ledesm.* dum dixere, mutari materiam obedientiæ debitæ Prælatis, in obedientiam Papæ: nam cùm Pontifex sit generalissimus omnium religionum Prælatus, cui potissimùm à religiosis emittitur votum obedientiæ (ut probavimus *lib.4. c.24. n.20. & hoc lib.6. c.2. n.8.*) non mutatur obedientia aliorum Prælatorum in hanc, sed, ea cassata, manet hæc.

4 Secundò deducitur, posse religiosum Episcopum ad religionem reduci ab ipso Pontifice. Constat, quia respectu Pontificis manet votum obedientiæ in ea religione præstitum, & solo ipsius Pontificis privilegio est exemptus ab obedientia cæterorum Prælatorum religionis. Ergo potest ab ipso Pontifice ad pristinam religionis obedientiam reduci: & ita docet *Vasq. n.2.* allegatus.

5 Tertiò deducitur, posse Pontificem virtute illius voti præcipere religioso illi Episcopo omnia, quæ sunt secundùm religionis illius regulam, sicut ea potuissent præcipere superiores religionis, dum nondum ad Episcopatum provectus erat. Quia votum obedientiæ secundùm regulam in religione emissum, non est extinctum, sed integrum, ac illæsum perseverat respectu Pontificis. Et per hoc constat solutio ad secundum argumentum primæ sententiæ allatum *num. 1.* Non enim religiosus Episcopus manet omninò liber ab obedientia secundùm regulam, sed ab obedientia Prælatorum Papæ inferiorum, & ab observatione regulæ, quatenus regula est: at non manet liber omninò ab ea, si quidem virtute voti priùs emissi potest ad eam cogi à Pontifice.

6 Imo si religiosus Pontifex Summus creetur, manebit iisdem votis adstrictus, ut benè docet *Aragon. n.2.* allegatus, & *num.9.* referemus alios dicentes idem de voto paupertatis; quia militant in eo rationes traditæ *num. 2.* de aliis Episcopis, & per accidens est, ut nulli omninò subjectus maneat; id enim ideo contingit, quod neminem in terris superiorem habeat.

7 De voto autem paupertatis non levis est inter Doctores controversia, quibusdam asserentibus religiosum creatum Episcopum eximi à paupertatis voto, efficique verum dominum redditiuum Ecclesiasticorum, instar Episcoporum sæcularium. Ducuntur ex *cap. unico, 18. q. 1.* ubi de religioso Episcopo sic dicitur: *Velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habet.* Si ergo sibi acquirit, vendicatque, verum dominium habet. Vendicare enim, & sibi acquirere, solis veris dominis competit *l. in rem, ff. de re vindicat.* Secundò, quia eodem prorsus modo adjudicatur sua portio Episcopo sæculari, ac regulari, cum libera transferendi in alium dominii administratione. Ergo nihil deest, quominus dominium habeat. Tandem, quia aliàs deberent ii Episcopi supervacaneè consumpta restituere, atque ab ipsis sic accipientes eadem obligatio adstringerentur. Et ideo hanc sententiam videtur tenere *Sotus libro septimo de justit. qu. quarta, articulo secundo ad ultim. & libro ultimo, qu. ultima, articulo ultimo, columna quarta, Palacios 4. dist.38. disputat. 1. fol. 834. columna 1. initio, Michael à Meti. de sacro homin. continent. libro 5. cap.26. colum.2. Angles*

florib. 2. p. q. unica de vot. art. 2. post 3. difficultatem dub. 1. Gratian. reg. 320. n. 4. Vasq. 1. 2. q. 96. art. 4. disp. 165. c. 8. n. 91. ad finem, & num. 104.

8 At verissima sententia est, eum non absolvi à paupertatis voto, nec effici dominum redituum Ecclesiasticorum, sed solùm administratorem. Ducor, quia duæ priores rationes traditæ *numero* 2. ad probandum non absolvi à voto obedientiæ, & castitatis, militant etiam in voto paupertatis, utpotè quod etiam est de essentia status religiosi *capit. cum ad monasterium, in fine de stat. monachorum*. Et confirmatur, quia vota à talibus Episcopis in religione emissa non laxantur, nec limitantur, nisi quatenus illorum observantia obstat executioni muneris Episcopalis, tamquam majori bono. Sed huic minimè obstat abdicatio omnis dominii, dummodò tales Episcopi liberam habeant administrationem omnium bonorum Ecclesiasticorum, ut ea in quoslibet usus decentes expendant. Nec obstant adducta in contrarium *n. precedenti*. Quia ad primum respondentur cum *Glossa eo cap. unico, verb. legit mus, juncto verbo restituat*. monachum Episcopum factum non acquirere jus successionis per Episcopatum: sed illum antea habebat, existens monachus, ut constat ex *cap. si quæ mulier 19. qu. 3. & l. Deo nobis, C. de Episcop. & cleric.* Sed per Episcopatum fit, ut quid in posterum acquirat, non monasterio, ut priùs acquirebat, sed suæ Ecclesiæ comparet. Quare (ut optimè ait *Div. Thom.* statim allegandus (non vendicant paternam hæreditatem quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ suæ debitam, nec enim confertur eis ea facultas, ut acquirant dominium, sed ut fiat accessio bonis Ecclesiasticis, quæ administrant, sicut fieret ex omnibus aliis bonis, quæ quomodocumque tales Episcopi acquirerent; ita ut quemadmodum omnia, quæ acquisivissent, cùm erant religiosi, pertinerent ad ordinem suum; ita quæ postea facti Episcopi acquirunt, comparent suæ Ecclesiæ. Ad secundum, negatur eodem modo adjudicari, quia Episcoppis sæcularibus adjudicatur tamquam veris dominis: at regularibus non committitur dispositio eorum tamquam dominis, sed tamquam administratoribus, & œconomis Ecclesiæ. Ad tertium constabit ex dicendis *num.* 13. Et ideò hanc sententiam tuentur *D. Thom. quæst. 88. articulo undecimo, ad 4. & quæst. 185. articulo octavo, ad 3. & 4. sententiarum, distinct. 38. quæst. prima, articulo quarto, quæstiunc. 1. ad 5.* & ibi *Div. Bonavent. articulo secundo, quæstione ultima, ad ultim. Paludan. quæst. quarta, articul. 4. contlus. undecima, numero quadragesimo nono, Riccard. artic. 5. quæst. prima ad ultim. & artic. 9. quæstione prima ad 1. 2. partis, Majoris ibi quæst. 20. argum. 3. contra 1. conclus. Supplementum Gabriel. quæst. prima, articulo ultimo, columna penultima, Gloss. cap. quorundam, verb. mendicantium, de elect. in 6. & capit. quia iuxta, verb. sensum 12. quæst. prima, & capit. de monachis, verb. discedere 16. quæst. prima, & cap. unico, verb. legimus 18. quæst. prima, Joann. Andr. cap. primo, num. sexto de testament. & ibi Abbas in fin. cap. penultim. in fin. de vita, & honest. clericorum, Bald. authent. licent. numero tertio, C. de Episcop. & cleric. & ibi Paul. numero secundo, Ancharan. cap. cùm olim el 2. numero octavo, de privileg. Jason auth. ingressi numero 15. C. de sacrosanct. Eccles. Henricus cap. final. numero decimo, de pecul. clericorum, Francus rubr. de testam. numero 75. in 6. Turrecremata, cap. de monachis 16. quæst. prima, numero tertio, ad 3. & capit. non dicatis 12. quæst. 1. articulo primo, numero secundo ad 4. Gambar. authent. legati libro sexto, numero 251. habetur tomo decimo tertio tractatuum, parte secunda, Fulv. Pacian. consil. 132. numero 35. & 37. volum. primo, Guillelm. Benedict. c. Raynutius de testament. verb. mortuo itaque testatore, el 1. num. 301. Abulens. capit. trigesimo Numer. quæst. 109. D. Anton. 3. part. titulo 20. c. 2. §. 7. Rosella verb. religio 1. numero quarto, Angel. verb. monachus numero septimo, Sylvest. verbo religio sexto, quæst. decima, Tabiena verb. Episcop. quæst. sexta, numero septimo, & ibi Armil. numero octavo, lex 26. in fine, & ibi Gregor. Lopez in fin. titulo septimo, parte prima, Nicolaus de Ubaldis de success. ab intestat. ubi de success. regular. parte prima, numero quarto, habetur tomo octavo, tractat. parte prima, Navarr. commentar. primo, de regular. numero trigesimo primo, & commentario secundo, numero 17. versicul. quæstionis tamen est magna, & commentar. tertio de regularibus, numero 46. & libro de redditibus Ecclesiastic. in nova editione, quæst. prima, monito undecimo, numero primo, & secundo, & monito nono, numero primo, & monito 52. numero primo, & libro tertio consiliorum, in prima editione, titulo de regularib. cons. decimo quinto, numero undecimo in 2. tit. de donationibus, cons. sexto, numero undecimo, Covarr. cap. primo, numero decimo octavo, de testament. Viguer. libro institutionum, cap. decimoseptimo, §. 1. versic. vigesimoprimo, Sarmient. de reddit. Ecclesiast. 1. p. cap. 1. num. 10.* & in defensione illius, *1. p. monit. 11. num. 2. & 3. Molina libro de primogen. capit. 10. num. 28. Corduba in regul. Div. Franc. capit. 2. quæst. 20. punct. 3. Surd. de aliment. titul. 8. privileg. 79. num. 99. Antonius Cuccus libro 3. institutionum moralium, titul. primo, numero 158. Bimins consil. 6. num. 7. volum. 1. Aragon. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. fol. 1036. columna 1. Valent. 2. 2. disputat. 10. qu. 3. puncto 8. col. 3. Leonard. lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 14. num. 113. Azor. tomo 1. institutionum moralium cap. 7. quæst. 2. §. profectò hæc quamvis Henriquez lib. 10. de sacram. ordin. cap. 32. num. 5. & cap. 33. n. 3. & 4. & lib. 12. de matrimon. cap. 5. numer. 5. in fine, Manuel Rodrig. 2. tomo summ. cap. 10. num. 4. & tomo 2. quæst. regular. q. 58. art. 3. Petr. de Ledesma 2. tomo summ. tract. 10. capit. ultimo, dub. 2. ad 4. fol. 221. Graffis 2. p. decisionum, libro tertio, cap. 19. num. 87. Tapia authent. ingressi, verb. sua, cap. 6. num. 85. C. de sacrosanct. Eccles. & verb. ideoque nec de his capit. unico, num. 32. Angul. de melioration. libro primo, Gloss. 3. numero 14. in secunda editione.*

9 Atque idem dicunt *Franc. rubr. de testament. in 6. n. 79. qu. 16. Navarr. commentar. 2. de regular. numer. 17. vers. quæstionis tamen magna est, & libr. 3. consiliorum in prima editione, tit. de regular. cons. 70. numero decimo, in secundo tit. de statu monachorum, cons. decimotertio, numero 10. & Aragon. numero præcedenti* allegati de religioso ad summum Pontificatum evecto, asserentes eum ita manere ligatum voto paupertatis, ut non efficiatur dominus redituum Ecclesiasticorum. Addit *Aragon.* dominium eorum manere apud Christum Dominum; quamquam *Molin. lib. 5. de sacror. homin. continent. cap. 260. columna 3.* dicat hoc esse absurdissimum. Sed verior est sententia prior; quia nulla est ratio, ob quam secum dispenset in eo voto, & militant rationes traditæ *nu. praced.* Non tamen est incapax ejus dominii acquirendi, si de facto contra paupertatis votum vellet acquirere; quia hæc incapacitas non consurgit ex natura voti, sed ex mero jure Ecclesiastico, juxta veriorem sententiam, quam amplexi sumus *lib. 6. hujus tractat. cap. 1. n. 9.* cui Pontifex non subditur. Addit Franc. nec eum posse testari. Sed contrarium est dicendum, ut benè docet *Guillel. Benedict. c. Raynut. verb. mortuo itaque testatore el 1. n. 301. & Tapia authent. ingressi verb. ideoque nec debis c. unic. n. 34. C. de sacrosanct. Eccles.* qui tamen hoc limitat, ut solùm de bonis intuitu personæ, vel ex patrimonio, vel ex alia successione quæsitis testari valeat. Sed non est verum, quia tota hæc prohibitio est de jure humano, & si sit de jure divino, potest in eo Papa dispensare.

10 Ex his deducitur primò, quid in ea quæstione dicendum sit, an integrum sit Episcopis religiosis testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria acquisitis, eo modo quo id fas est Episcopis sæcularibus? Quidam affirmant. Et potest probari, quia id effici potest absque dispensatione in voto paupertatis: sufficit enim ad hoc administratio bonorum, quam habent. Quod vel inde constat, quia *D. Thom.* statim allegandus, concedit posse ex Pontificia dispensatione, cùm tamen sit in ea sententia, ut nequeat in voto solemni dispensare. Et quia sicut ad donandum in vita, sat est sola administratio libera, sic ad donandum in morte. Ita docent *Hostiens. c. 1. num. 5. de testament. Michael à Med. lib. 5. de sacr. homin. continent. cap. 26. columna 2. Emmanuel Sà verb. Episcopus, num. 11. Gratianus regul. 320. num. 4. Manuel Rodrig. 2. tom. summ. cap. 70. num. 5.* & est probabile. At dicendum est, non esse integrum eis testari. Ratio est, quia paternam hæreditatem, & quidquid aliud undecumque acquirit religiosus Episcopus, acquirit suę Ecclesiæ cum sola libera administratione, ut constat ex *cap. unico 18. quæst. 1.* & dicemus infra in tractatu de voto paupertatis. Administratio autem morte finitur, ex qua testamentum incipit valere, ad *Hebr. 9.* Ergo non est ei integrum disponere post mortem, quod fit per testamentum. Et ita docent *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. ad 3. Joann. Andr. c. 1. num. 6. de testam. & ibi Anton. num. 9. Cardinal. num. 3. opposit. 4. Abbas in fine Bald. Paul. Jason, Paludan. Supplement. Gabriel. Div. Anton. Covarru. Turrecrem. Viguer. Molina, allegati num. 8. Henriquez c, si quis sanè num. 10. de pecul. Anchar. cap. olim, el 2. num. 8. de privileg. Franc. rubr. de testament. in 6. num. 57. Alber. in Dictionar. verbo testamentum, Præpositus cap. nulli dubium, numero 23. 12. quæst. 5. & ibi Turrecrem. num. 22. Guillelm. Benedict. cap. Raynutius de testament. verb. mortuo itaque testatore, el 1. num. 301. Sylvest. verb. testament. 1. qu. 3. vers. 11. Tabien. verb. religio qu. 42. num. 43. & qu. 27. num. 28. & verb. Episcopus qu. 6. nu. 7. & ibi Armil. num. 8. Sotus lib. ultim. de justit. qu. ultim. artic. ultim. ad ult. Navarr. de redditib. in nova editione, qu. 1. monit. 9. num. 2. & 9. 3. monit. 11. num. 1. Guillelm. Redov. de spoliis Ecclesiast. qu. 3. §. fin. num. 14. & 15.* habetur *tom. 14. tractatuum. Azor. tom. 1. institut. lib. 12. c. 7. qu. 2. in fine, Henriquez. libr. 10. de sacr. ordin. c. 33. num. 3. in fin. & num. 4. Manuel Rodrig. qq. regularibus, tomo 3. qu. 69. artic. 4. Graffis secunda parte decisionum, lib. 3. cap. 19. n. 87. & 88. Fulv. Pacian. cons. 132. num. 33. volum. 1. Tapia authent. ingressi verb. sua cap. 7. n. 85. & verb. ideoque nec de his capit. unic. num. 32. C. de sacrosanct. Eccles.*

11 Secundò deducitur, Episcopum religiosum obtinentem à Pontifice licentiam testandi etiam ad opera pia, teneri explicare duplex impedimentum; ut dispensatio legitima sit. Alterum se esse religiosum: alterum autem, se esse Episcopum, quod duplici hoc impedimento ad testandum affectus sit. Ita docet *Henriquez num. præc.* allegatus. Quod intelligendum est in casu, in quo talis Episcopus vellet testari de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ; de his enim solis nequeunt testari Episcopi sæculares. Si autem velit de omnibus patrimonialibus, vel propria industria acquisitis per testamentum disponere, sufficit explicare se esse religiosum; quia huic testandi facultati non Episcopalis status, sed solus religiosus obstat.

12 Quòd si quæras qualiter Papa concedere possit hanc facultatem, & quomodo ea intelligatur, & an causam desideret, & an Episcopus testari possit inter liberos, vel revocare testamentum, vel declarare; hæc sunt inserius disputanda in tractatu de voto paupertatis, ubi sermo erit de omnibus professis: nihil enim in hoc peculiare habet religiosus Episcopus præ cæteris professis. An autem possit morti

morti proximus donare etiam absque traditione, non est hujus loci disputare: non enim est peculiaris difficultas ratione voti, & professionis, de quibus tantùm est sermo in præsenti, sed est generalis omnibus Episcopis, & ideò ad tractatum de statu Episcoporum pertinet. Et breviter credo probabiliùs id licere, dummodò sit vera donatio inter vivos, & irrevocabilis, & non simulatio donationis, qualis esset, si revocari possit, ut benè tradit *Navarr.* cum aliis *eodem libro de redditib. in 1. editione, qu. 1. num. 88. & 89. & in nova editione qu. 1. monit. 35. numero 2.* quamvis non desint contradicentes, & etiam id approbantes. Consulatur de eo *Covar. in c. officiis, n. 5. de testam. Molin. lib. 2. de primogen. cap. 10. num. 40. & 42. Sarmient. de redditib. 4. parte, cap. 4. numero 7. & 8.*

13 Tertiò deducitur, ea, quæ religiosus Episcopus prodigè, & supervacaneè consumit, teneri ipsum restituere Ecclesiæ, cui acquirit, nisi fortè Ecclesia ad tollendos scrupulos ea remittat. Sic docet *Valent. 2. 2. disp. 10. qu. 3. puncto 8. col. 3.* & similiter accipiens tenebitur restituere ipsi Episcopo tamquam legitimo administratori, quia solam liberam administrationem habet ad honestos usus. Quod inde etiam constat; quia Doctores asserentes Episcopos sæculares carere dominio redituum Ecclesiasticorum, solamque administrationem habere, affirmant subinde utramque hanc restituendi obligationem, & expressè *Leonard. lib. 2. de justit. c. 4. dub. 5. num. 29.* dicit prodigè consumentem, aut in res vanas, aut ditantem amicos, teneri restituere, & etiam accipientes: & idem docet *Molin.* expressè loquens de religioso beneficiario, *lib. 2. de just. disputat. 276. columna 3. vers. religiosus in conventu*. Tollentur tamen omnes scrupuli, excusabiturque uterque ab hac obligatione, amplectendo opinionem, quam *num. 7.* retulimus, & est probabilis, affirmante, Episcopum religiosum esse verum redditum Ecclesiasticorum sibi obvenientium dominum, instar Episcopi sæcularis, eo vel maximè quod *Azor. libro 12. institutionum moralium cap. 7. qu. 2. in fine*, etsi asserat Episcopum religiosum non solvi paupertatis voto quo ad dominium acquirendum; solvi tamen aliqua ex parte, siquidem fructibus sibi obvenientibus uti potest, ut vult; quod intelligendum est, quod attinet ad vinculum restitutionis non incurrendum, sicut contingit in Episcopis sæcularibus: & *Leonard. lib. 2. de just. cap. 41. dubio 15. num. 113. & Molin. ea disputatione 276. versic. quo ad cæteros, & disputatione 250. paulò post principium*, docent religiosum à religione ejectum non teneri restituere, quæ in illicitis, & superfluis expendit; nec etiam teneri accipientes ab illis, cum tamen similis ratio in eis, & in religiosis beneficiatis, & Episcopis videatur procedere.

14 Quartò deducitur, verissimum esse, quod colligitur ex Cardinali *Clement. 2. vers. sed & tales notab. 1. de vita, & honest. cler.* & sæpius commendat *Navar. in lib. de redditib. Ecclesiast. in 1. edit. qu. 1. num. 81. in novis. verò qu. 1. monit. 1. 8. num. 2. & monit. 33. num. 1. & in propugnaculo apologiæ ab lib. de redditib. monit. 13. num. 12. & monit. 35. num. 1. & monit. 52. num. 1. & lib. 3. consiliorum, tit. de regular. in 1. editione consil. 70. num. 1. & lib. 3. consiliorum, tit. de regular. in 1. editione consil. 70. num. 4. in 2. tit. de stat. monach. consil. 13. num. 4. & Emmanuel Sà verbo religio, num. 46. & Manuel Rodrig. qq. regular. tomo 2. qu. 8. art. 8.* nempe religiosum beneficiatum, aut Episcopum, tam amplè posse disponere inter vivos de sui beneficii, & Episcopatus, aut beneficiarius sæcularis de eis disponere. Item etiam docent *Rota Rom. in novis. decis. 216. num. 13. p. 2. Leonard. lib. 2. de just. c. 4. dub. 5. num. 29. & c. 41. dub. 11. num. 93. Vivald. candelab. Sacrament. p. 3. cap. 14. num. 86. Anastas. Germoni de indult. Cardinal. §. regularia beneficia, numero 47. Molin. tom. 2. de justit. disputat. 276. columna 3. vers. religiosus in conventu, Graffis 1. p. Decision. lib. 3. cap. 5. num. 43.* & ita dicit, quod potest per donationem, aut contractum irrevocabilem inter vivos disponere, non verò per testamentum. Et ratio horum est: quia uterque solùm potest licitè disponere ad moderatam substentationem secundùm statum, & donationes ipsi congruentes, & superflua tenentur in eleemosynas, & opera pia erogare; quod idem contingit in beneficiariis, aut Episcopis religiosis. Nec ad hoc requiritur dominium: quippe ipse Navarrus hoc concedens; negat id dominium in beneficiariis, & Episcopis sæcularibus. Sed ratio legitima est: quod sive sint domini, sive non, conceditur eis ab Ecclesia plenè, & integrè libera eorum redditium administratio ad hunc effectum; & ita immeritò dicit id falsissimum *Sarmient. 1. part. defension. lib. de redditib. monit. 11. num. 4.* An verò possit Prælatus regularis imponere pensionem illi beneficio, vel modum fructus expendendi, vel si quid, cum amovetur à beneficio, superfit, disponendum sit ab Abbate, explicabitur infra de voto paupertatis. Similiter est verissimum, quod ipsemet *Navarr.* tradit *eodem lib. de redditib. in prima editione qu. 1. a numero 82. usque ad 84. & in secunda quæst. prima, monit. 33. numero 2. 3. & 4.* nempe, posse æquè beneficiarium, aut Episcopos regulares, in quævis opera, & qualitercumque expendere, quod parcius, quàm justè posset, vivendo sumptibus pepercerit, & quod minus sumpserit de redditibus sui beneficii, quàm in suam competentem substentationem poterat licitè sumere: quia idem possunt Episcopi, & beneficiarii sæculares. Neque hujus ratio est dominium in bona Ecclesiastica; nam eo negato affirmandum hoc est. Sed quia justè præsumi potest, Ecclesiam id concessisse, cùm re vera id in usus proprios expendendum esset. Et ea concessio justa est, ut Prælati parciùs hæc spe ducti vivant. Et de beneficiariis sæcularibus loquentes, sunt alii multi id concedentes, ut potest videri apud *Covarr. cap. cum in officiis, num. 7. de testament. & Molin. libro secundo de primogen. cap. 10. num. 50.* & in nostro *Molin. tractat. secund. de justitia, disputatione 145.* Quamvis in utrisque id negent *Sarmient.* cum aliis: *lib. de redditib. parte tertia, cap. quinto a numero primo, usque ad 5. & in defensionib. prima parte, monit. 30. & 31.* Præterea potest hic beneficiatus regularis etiam aliundè quæsita, quàm ex beneficio expendere, de eisque disponere, etiamsi ejus generis ea bona sint, in quæ monasterium debeat posterius mortem succedere. Secus de religioso pensionem ex Pontificis licentia habente; potest enim bona illius pensionis administrare, dum vivit, non tamen aliundè quæsita. Hæc *Navarr. commentario 4. numero 76. de regular. & commentar. secundo, numero 6. in fine corollar. 9. de regular.* dicit beneficiarium regularem posse tam amplè de bonis aliunde, aut opera sua quæsitis disponere ac de fructibus beneficii: quia neutra sunt sua quo ad dominium, & in utraque habet æqualem administrandi potestatem. Quas autem donationes, & quos sumptus possint licitè facere Episcopi sæculares, & consequenter regulares, cùm in utrisque sit eadem ratio, non est hujus loci examinare; cùm specialis difficultas non proveniat ex voto paupertatis, nec ex defectu dominii, qui est in religiosis, sed ex facultate, quam habent Episcopi, & beneficiarii ad disponendum de redditibus Ecclesiasticis: & ideò spectat ad tractatu, in quo de statu Episcoporum, aut de beneficiis, aut de redditibus Ecclesiæ disputatur. Videatur inter alios *Molina* noster in loco proximè adducto.

15 Hactenus egimus de votis substantialibus communibus omnibus religiosis, & necessariis ad veræ religionis substantiam. Superest de aliis votis tractare, quæ in variis religionibus juxta earum instituta admittuntur. Quippe non videtur eadem ratio militare in his, ut in Societate JESU emittitur quartum votum speciale obediendi Pontifici circa missiones, quod solemne est. Et insuper emittuntur quinque alia vota simplicia post solemnem professionem: & in religione Minimorum emittitur quartum votum solemne servandæ vitæ Quadragesimalis. Neminem inveni hoc disputantem, præter *Vasquez. 1. 2. quæst. 96. artic. 4. disputat. 165. c. 8. num. 89. in fine*, qui agit de solo voto, quod emittunt professi Societatis JESU, quo promittunt se obedientia Pontificis coactos ad Episcopatum admittendum, non detrectaturos audire consilium Præpositi Generalis Societatis JESU, vel ejus, quem ad id substituerit; & dicit hoc voto obligari professum Societatis JESU creatum Episcopum, quamvis eo ipso à Generalis obedientia exemptus sit. Et id constat, quia cùm in id tempus solum admittatur tale votum, si tunc non obligaret, frustra emitteretur. Et idem dicendum esse de omnibus aliis votis ostenditur; nam *Cajet. 1. 2. qu. 185. art. 8. dub. 2. & in Opuscul. tom. 1. tract. 25. de obligat. & observation. præceptorum, quæstione secunda, & Sot. lib. ultimo de justit. quæst. ultima, articulo ultimo, columna 7. vers. sed contra*, ubi dicentes religiosum Episcopum non teneri ex præcepto, & vi coactiva ad regulares observantias, dicunt secùs esse de votis, quia illas non expressè promisit: sed ad eas sola instituti religiosi vi tenetur, è qua liber est. Ad hæc autem tenetur ex propria promissione. Et quamvis agant de tribus votis substantialibus religionis: at ratio ab eis tradita generalis est ad omnia vota expressè ab his emissa. Et clariùs ibidem Sotus paulò ante eum versiculum, *sed contra*, dicens religiosum Episcopum non teneri ad carnium abstinentiam in regula suæ religionis præscriptam; eam reddit rationem: quod non emiserit singulare hujus abstinentiæ votum, sed ex solo regulæ præscripto ad id teneatur: ubi clarè indicat diversum esse dicendum in religione, in qua speciale ejus votum emittitur. Et præterea, quia quodcumque aliud votum in religione peculiariter, & ultra religionis præscriptum emissum, nec à superiore irritatum, obligaret religiosum Episcopum creatum: cur ergo non obligabunt ea vota ex regionis præscripto emissa? At dicendum est, ejusmodi vota in Episcopis cessare, & suspendi; quia ea emittuntur ut annexa, & accessoria professioni vitæ monasticæ, à qua liber manet Episcopus, & ordinantur ad faciliorem communitatis religiosæ perfectionem, & ordinem, sicut observantiæ regulares, à quibus statim dicemus exemptum esse Episcopum. Denique eorum votorum materia valde immutata est in Episcopis; propter quæ in casu simili ostendemus *cap. 9. hujus lib. num. 54.* perpetuo à religione expulsum non teneri illis votis. Quæ omnia non procedunt in reliquis votis propria voluntate, & non ex religionis præscripto peculiariter emissis. Unde constat ad ea quæ in contrarium adducta sunt.

16 Id demum circa vota observandum est, etsi tria substantialia vota, & reliqua in religione emissa vim habeant obligandi religiosi creati Episcopi; at transgressorem horum votorum non puniendum pœnis statutis in suæ religionis regula, nec subjacere censuris in ea positis contra transgressores, qua (ut *numero sequenti* videbimus) ab his omnibus pœnis, & à vi coactiva regulæ liber est, Episcopatu assumpto. Et ita docent *Sotus lib. ultimo de justit. quæst. ultima, artic. ult. col. 7. vers. sed contra, Angles florib. 2. p. quæst. unica de voto, art. 25. post 13. difficult. in dub. 5.* quamvis minùs benè contrarium doceat *Laur. Clem. 2. de censib.* ut refert ibi *Anchar. in fin.*

dicens se dubitare, an id sit benè dictum; sed Laurentium sequitur *Tapia authent. ingressi verb. sua c.6. num.75. C. de sacrosanct. Eccles.*

17 Deinde de aliis observantiis regularibus ex regulæ præscripto debitis, difficultas est, an ad eas teneatur religiosus factus Episcopus. Et quidem concordant communiter auctores, non teneri eum vinculo regularum, & statutorum sui ordinis, quod attinet ad pœnas, & censuras transgressioribus decretas. Et ratio est, quia etsi obligetur ad vota vinculo legali; & saltem morali (ut *n. 19.* declarabimus) ad alias observantias regulares; at dedecet dignitatem Episcopalem, ita eum ad hujusmodi obligari, ut si transgrediatur, subjectus sit pœnis: hoc enim minimè convenit magistris perfectionis, quales sunt Episcopi, sed discipulis solis Prælato subjectis. Sicut eum discipulum, cum jam præceptor effectus est, decet quoque studere, ac meditari instar discipulorum, at non ita, ut si id non præstet, sit more ipsorum vapulaturus. Sic Episcopum religiosum, qui ratione status ex discipulo in Magistrum transiit, decet quoque observationes regulares servare, non tamen ita, ut instar aliorum religiosorum puniendus sit pœnis, quæ in illis in transgressores indicuntur. Item quia in honorem dignitatis Episcopalis statutum est in jure, ut Episcopus nulla suspensione, aut interdicto in alicujus decreti transgressores latis tigetur, nisi in eo decreto fiat speciali mentio de Episcopo, *cap. quia periculosum, de sentent. excommun. in 6.* & sicut in jure exprimitur de iis pœnis; ita de aliis regulæ pœnis ex jure naturalis rationis videtur simili modo casus decidendus. Atque ita docent *Cajetan. 2. 2. q. 185. art. 8. dub. 2. & in opuscul. tom. 1. tract. 25. de obligat. & observat. præcept. quæst. 2. Tabiena verb. Episcopus quæst. 6. num. 7. Sot. lib. ultimo de just. quæst. ultima, artic. ultimo, columna 6. Covar. cap. 1. num. 18. de testament. Angles num. præced. allegat. Valent.* dicens esse certum, *2. 2. disputat. 10. quæst. 3. puncto 8. col. 2. Manuel 2. tom. summæ cap. 10. num. 4. Azor. libr. 12. instit. mor. c. 7. qu. 4.*

18 At difficultas est, an incurrat culpam aliquam eas observantias regulares transgrediendo? Et quidem, ut optimè advertit *Valentia n. sequent.* allegandus, difficultas hæc non est de observantiis ad nullam culpam obligantibus: eæ enim alios simplices religiosos ad culpam non astringunt, nedum religiosum effectum Episcopum; sed de illis observantiis, quæ secundùm ordinis statuta obligant ad mortale, aut veniale. *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8.* triplicis generis observantias distinxit. Primi generis sunt, quæ Pontificio muneri non obstant; imo valde conferunt, utpote quæ juvant ad promovendam & custodiendam perfectionem, quam Episcopalis status profitetur; ut sunt oratio, abstinentia moderata, & similes. Secundi generis sunt, quæ ipsi muneri exequendo sunt obstaculo, ut nimiæ vigiliæ, abstinentiæ immoderatæ, silentium, solitudo, & aliæ ejus generis, ad quas quoque reduxit *D. Thom.* ut testantur ibi *Cajet. dub. 1. Soto. eo art. ultim. col. 5. versu circa secundum, Valent. eo puncto 8. col. 2. Azor. ead. q. 4.* eas observantias, quæ etsi officio non obstent, dedecent tamen dignitatem Episcopalem. Tertii generis sunt observantiæ mediæ, quæ non semper obstant, nec semper juvant, sed aliquando obstare possunt juxta varias circumstantias occurrentes. Divus ergo Thomas dicit ad observantias primi generis teneri religiosum factum Episcopum; ab observantiis autem secundi generis ipso jure absolvi, utpote quæ majus bonum impediunt; & demum ab observantiis tertii generis non absolvi, sed posse secum dispensare, quando circumstantiæ id exigentes occurrerint, sicut possunt Prælati religionis dispensare secum in iis. Et probat *D. Thom.* ratione petita ex rerum naturalium similitudine: nam sicut advenientè præstantioris formæ perfectione, non excluditur dispositio conservans illam, sed solùm quantum ad id, in quo repugnat perfectioni; ita advenente statu Episcopali, qui ad religiosum se habet tamquam forma perfectior ad imperfectiorem dispositionem, illè enim est status magistri perfectionis, hic autem discipuli: ac proinde hujus vita est quasi dispositio ad illum; non excluduntur observantiæ status religiosi juvantes ad promovendam status Episcopalis perfectionem, sed illæ solæ, quæ ei obstant. Eamdem sententiam sequuntur *Franc. rubr. de testament. in 6. numero 75. Divus Anton. 3. p. titulo 20. cap. 2. §. 7. Angel. verb. monachus, num. 7. Sylvest. verbo religio 7. quæst. 10. Tabien. verb. Episcopus quæst. 6. numero 7. Armil. ibi num. 8. Turrecrem. cap. de monachis 16. quæstione 1. num. 3. Viguer. lib. institut. cap. 17. §. 1. vers. 21. Manuel qq. regular. tom. 2. q. 58. art. 3. Fulvius Pacian. cons. 132. numero 31. volum. 1.*

19 Sed prædicti Doctores non explicant quale vinculum sit hoc, quo Episcopus tenetur ad prioris generis observantias, nempè, an sit legale, quod vim coactivam importat, & ad culpam transgressores obligat; an solùm sit morale, & de honestate quadam, & decentia, & quo ad solam vim directivam, quasi solo vinculo communis sententia affirmat Principem suis legibus astringi. Et quidem *Cajetan. 2. 2. q. 185. art. 8. dub. 1. in fine*, ait, Religiosum, cui secundùm regulæ statuta interdictus est usus carnium in feria sexta, peccare lethaliter, si factus Episcopus eis vescatur feria 6. in qua incidit Natale Domini: quia *cap. explicari de observat. jejunior.* ubi indulgetur esus carnium illa die, excipiuntur, qui ex voto, vel regulari observantia tenentur illa die ab illis abstinere. Et 2. *dubio statim in principio*, clarè dicit hujusmodi Episcopum non esse absolutum à rebus in Regula præceptis, sed à solo præcepti vinculo, id est, à pœnis in transgressores decretis. At *in fine* id relinquit sub dubio, dicens fortè omnium præceptorum Regulæ vincula esse interpretanda suppósito cæterorum religiosorum consortio, à quo Episcopi sunt exempti. Cæterùm ipsemet *Cajetan. in Opuscul. tom. 1. tract. 25. de obligat. & observat. præcept. quæst. 2.* mutavit sententiam, dicens religiosum factum Episcopum eximi quo ad obligationem legalem, & coactionem ab omnibus regulis, & statutis religionis, non tamen quo ad morale vinculum; ac proinde non peccare mortaliter regulas illas, & statuta transgrediendo: sicut Princeps solo morali vinculo, & quo ad solam vim directivam tenetur suis legibus. Atque ita tenent *Sot. libr. ultimo de justit. qu. ult. art. ult. col. 6. & 7. Covar. cap. 1. num. 18. de testam. Ovand. in 4. dist. 38. disput. unic. propositi. 17. Angles floribus 2. p. q. unic. de vot. art. 2. post 13. difficultatem, dub. 5. Valent. 2. 2. disp. 50. quæst. 3. puncto 8. in fin. Azor. lib. 12. instit. moral. c. 7. q. 4. Manuel 2. tomo summæ, c. 10. n. 4.* Verùm adhuc superest difficultas, an nec venialiter peccet? Nam *Cajetan. Covar. Angles*, & *Manuel* tantùm explicant eum non peccare mortaliter; & cum affirmet *Cajetan.* quem reliqui tamquam patronum referunt, teneri quo ad vim directivam instar Principis respectu suarum legum, videntur censere ad aliquam culpam obligari. Quippe Princeps absque causa transgressor suarum legum ipsum non dedecentium, est aliqualis culpæ reus. At dicendum est, sub nulla culpa obligari, sed ex solo honestatis, ac decentiæ debito; nam ut observantia regularis obliget aliquem sub culpa, oportet talem esse regulæ subjectum, & Prælatis, quippe iex solos subditos obligat. At religionis factus Episcopus liberatur jugo regulæ, *cap. unic. 18. q. 1.* ergo transgrediens in nullam incidit culpam. Atque ita expressè docent *Sot. & Valent.* proximè allegati; idem clare tenit *Azor. ead. q. 4.* dicens solum teneri ex honestate rationis, & vinculo morali: idem ait *Hostiens. summ. tit. de statu monachor. num. 5. vers. & quamvis*, ubi ait, posse dici hunc non teneri ex necessitate, sed ex sola quadam honestate ad observantias regulares, quas commodè servare potest: idem clarè significant *Bonifac. Clement. 1. num. 83. de regularib. Navarr. lib. 3. consilior. in 1. edit. tit. de regular. cons. 15. num. 11. in 2. titul. de donation. cons. 6. n. 11. Emmanuel Sà verb. Episcopus, num. 11. Leonard. lib. 2. de just. cap. 40. dub. 14. num. 113.* dicunt enim hunc eximi ab omnibus observantiis in regula præscriptis. Quare optimè ait Sotus, non magis obligari ad regulas religiosum ad Episcopatum provectum ex D. Dominici familia, in qua illæ ad nullam culpam obligant, quam provectum ex familia D. Francisci, in qua multæ sub mortali astringunt; cùm uterque regulas transgrediens sit omnis culpæ immunis, utpotè qui ad eas ex sola honestate tenetur. Quare diversus esse ait in Principe, qui ideo suis legibus ipsum non dedecentibus, & nondum abrogatis, sub aliqua culpa tenetur: quia dedecet ipsum cum cæteris Reipublicæ membris, cum quibus vitam socialem transigit, non conformari. At religiosus Episcopus non agit vitam cum cæteris religiosis, sed ab ipsorum consortio sejunctus est, eo ipso quod Episcopus creatur; & ideo nulla obligationis ad culpam ratio superest.

20 Hinc deducitur primò, nullatenus peccare, sed posse licitè carnibus vesci feria sexta, in qua Natale Domini incidit, religiosum creatum Episcopum, cui juxta suæ regulæ constitutiones is esus interdictus erat; quia jam liber est à legali regulæ obligatione; & dum *cap. explicari, de observat. jejun.* hoc privilegium denegatur astrictis regulari observantia ad carnium ea die abstinentiam, intelligitur de astrictis debito legali, non autem de astrictis solo morali debito; eo vel maximè, quod tunc hoc morale debitum cessat, cum consentaneum sit Episcopum in tanta solemnitate cum cæteris populis conformari. Et ita docent *Cajetan. Opuscul. eo q. 2. Sotus, Covar. Manuel num. præced. allegati.* Et quamvis *Covar. & Manuel* solùm explicent non peccare mortaliter, at sequuntur *Cajetanum* qui, *& Sotus* dixere nullo modo peccare: & ita idem sentiunt, eo vel maximè, quod in prædicta materia, vel nulla, aut mortalis culpa esse deberet. Præterea, quia etsi *Glossa cap. de monachis, in fin. citatis Hostiens. & Goffred. & Abbat. c. penult. in fin. de vita, & honest. cler.* dicant hujusmodi monachum non teneri abstinere à carnibus, nisi quando ea abstinentia scandalum generaret: at melius *Cardinal. Clement. 2. in principio, num. 7. quæst. 2. de cons. & Turrecremata cap. unico nu er. 1. 18. q. 2. & cap. carnem de consecrat. distinct. quinta*, dicunt eum ab hoc regulæ præcepto absolui. Si tamen religiosus ille Episcopus esset ex fratribus Minimis, juxta aliquorum sententiam peccaret mortaliter edendo, quia textus excipit eos quoque, qui ex voto tenentur à carnibus abstinere; at hi religiosi solemne hujus abstinentiæ votum emittunt. Sed dicendum est, eum posse carnibus vesci, quia religiosus Episcopus immunis manet à votis, quæ præter substantialia ex religionis præscripto emittuntur, ut probatum est *numero decimoquinto*.

21 Secundò deducitur solutio hujus quæstionis, an teneatur habere secum socium sui ordinis, id enim negant *Cajet. 2. 2. qu. 185. art. 8. dub. 1. Tabien. verbo Episcopus qu. 6. à num. 7. Azor. lib. 12. institutionum moralium cap. 6. quæst. 4. ad fin.* quod deroget dignitati Episcopali habere monachum socium sibi æqualem, & ratione societatis habere illum ut famulum. At veriùs est, tenere habere illum, quia tenetur ad observantias nec impedientes, nec dedecentes dignitatem Episcopalem, ut diximus *n. 18.* at hæc non dedecet: neque enim oportet, quod hujusmodi socius gerat se Episcopum, si illi æqualis esset; nam & in religione est quædam graduum distinctio; atque ita sua auctoritate servata, potest Episcopus uti socio decenter. Et ita docent *Sot. lib. ultimo, de justit. qu. ultim. art. ultim. col. 5. vers. circa secundum, Valent. 2. 2. disp. 10. q. 3. punct. 8. col. 2.* imo *Sot.* ait, nullas regulares observantias dedecere monachum Episcopum; & ita ait, ad omnes teneri, dummodò non impediant munus Episcopale. Sed meliùs *Cajetanus, Tabiena, & Valentia ibidem* dicunt dedecere institutum quorumdam religiosorum, qui ad bibendum tenentur sedere, & poculum utraque manu tenere, & ita ab hoc esse liberum Episcopum. Dum autem prædicti Doctores dicunt teneri ad habendum socium, sunt intelligendi de solo honestatis, & decentiæ debito; cum nullo jure ad id cogatur Episcopus religiosus, sed ex solo regulæ præscripto, quæ ex solo honestatis debito sigat, juxta eosdemmet auctores: textus enim decidentes non proficiendos monachos solos alicui Ecclesiæ, de Ecclesiis inferioribus, ut parochialibus, loquuntur, ut videbimus *numero 39.*

22 Non tamen idem dicendum est de habitu regulari, illum enim gestare tenetur debito legali Religiosus creatus Episcopus, nec potest super illum vestibus Episcopalibus induci, quia hæc obligatio non ex regulæ præscripto, sed de jure canonico & consuetudine communiter recepta oritur. Nec hoc ejus officio obstat, & est veluti quoddam signum obligationis ad vota regularia, quibus astrictus est. Constat ex *cap. penult. in fine de vi. & honest. cler.* ubi cùm de vestibus Episcopalibus sermo fiat, quasque induere debet Episcopus, sic dicitur: *nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem.* Atque ita docent *D. Thom. 2. 2. quæst. 185. artic. 8. corpor. Ricard. 4. dist. 38. art. 5. quæst. 1. ad ultim. Gloss. cap. in novo in fin. & cap. de monachis verb. discedere 16. quæst. prima, Hostiens. summ. tit. de stat. monachorum num. 5. Abbas dict. cap. penultimo in fine*, ubi ejus commentator *verb. non absolvitur*, allegatos alios idem tenentes. *Henriquez c. quod Dei timorem, nu. 8. de statu monachorum, Franc. in rubr. de testamento in 6. num. 75. Nicol. de Ubaldis de success. ab intest.* ubi de successor. regular. *p. 1. num. 4.* habetur *tomo 8. tract. p. 1. Jason. authent. ingressi, num. 16. de sacrosanct. Eccles. lmo l. Clement. 1. num. 21. de stat. monachorum, Angel. verb. monachus num. 7. Tabien. verb. Episcopus quæst. 6. num. 7. Sylvest. verb. religio 6. qu. 10. & religio 7. quæst. 11. Abulens. cap. 30. Numer. quæst. 109. Turrecremata dict. cap. monachor. num. 2. & 3. & l. 25. in fine tit. 7. parte prima, Sot. lib. ultimo de just. qu. ult. art. ult. columna 5. vers. circa secundum*, dicens apud Italos id non servari, *Covar. cap. 1. nu. 18. de testament. Navar. lib. 3. consiliorum in 1. edit. titul. de regular. cons. 15. num. 11. in 2. tit. de donat. cons. 6. num. 11. Angl. florib. 2. p. qu. unic. de vot. art. 2. post 13. difficult. in dub. 2. Emmanuel Sà sum. verb. Episcopus, num. 11. Henric. lib. 30. de sacram. ordinis, c. 32. n. 5. & c. 23. in fine, Leonard. lib. 2. de just. q. 40. dub. 14. num. 113. Azor. lib. 12. institut. moral. cap. 7. qu. 4.* Quamvis jam in Rituali Romano per Clementem VIII. reformato, concessum sit Episcopis regularibus, ut retento colore habitus suæ religionis possint se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, seu figura illius; & ita servatur modo in Praxi.

23 Imo, & Episcopum regularem omittentem habitum, & assumendo illam albam, & candidam vestem, quæ ab Episcopis exterius defertur incurrere excommunicationem latam contra monachos omittentes habitum *c. 2. no clerici, vel monachi in 6.* testatur *Imola & Jason. num. præcedenti allegati, Petr. de Vernia additionib. ad Butrigar. authent. ingressi, C. de sacrosanct. Eccles. in 4. limitat. Cardin. Clement. 1. in principio n. 9. qu. 6. de stat. monach. & ibi Imola numero 17. Surd. de aliment. titul. 8. privileg. 79. num. 10. Riminal. consil. 6. numero 7. volum. 1. Ful. Pacian. cons. 132. num. 42. volum. 1. Sylvest. verb. religio 7. qu. 11. Major. lib. 2. de regular. cap. 1. num. 13. Cuccus lib. 1. institutionum moral. tit. 1. nu. 157.* & videtur tenere *Henriq. lib. 10. de sacram. ordin. c. 33. in fine*, ait enim hoc esse apostasiam. Et jure optimo *Covarr. num. præced.* allegatus ait, hanc sententiam esse dubiam, & inclinat in oppositam; quia nullo jure est excommunicatio indicta monacho, qui prætextu Episcopalis dignitatis habitum dimittat, & Episcopalem induit; quia textus ille excommunicans clarè loquitur de religioso sub Abbatis obedientia manente ejusque regulis astricto; atque ita eam rationem reddit, ne detur monachis materia vagandi, dimisso habitu, eo quod à nemine cognoscentur; quæ in Episcopo religioso deficiunt, utpotè qui non est sub regulæ obedientia, & induens Episcopalem habitum, minus aptus erit ad evagandum. Et hanc sententiam tenent etiam *Bonifacius Clement. 1. §. rursus, num. 33. & 34. de stat. monach. Tavia auth. ingressi, verb. sua cap. 6. num. 61. C. de sacrosanct. Eccles. Manuel qq. regular. tom. 2. q. 58. art. textio*, & eam dicit probabiliorem *Azor. num. præcedenti relatus*; quamvis immeritò subdat, non esse à priori opinione, eo quod sit communis, recedendum, ne novæ adhæreatur: nec enim opposita est communis, nec hæc est nova.

24 Tertiò deducitur: quamvis monachis interdictum sit compatornitatem contrahere *cap. non licet, el. prim. & cap. monachi, de consecrat. dist. 4. & c. pervenit. el. 1. 18. q. 2.* quod intelligitur tenendo, secus baptizando, ut docent *Gloss. eo c. non licet in fine & eo c. pervenit. in fine ubi etiam Turrecr. in fine Archid. eo c. monachi in fine Franc. de testam. in 6. num. 75.* & ratio est, quia major familiaritas contrahitur ex compaternitate, quæ fit tenendo & constat ex *c. dolens 16. q. 1.* ubi dicitur licere monachis baptizare. At religioso facto Episcopo licitum est tenere in baptismo, & sic eam compaternitatem contrahere; ut testantur *Gloss. c. unic. verb. absolvit. 18. q. 1. & ibi Turrecrem. num. 2. & d. c. pervenit in fine Card. Clem. 2. in princ. num. 8. q. 3. de censib. Manuel Quæst. Regul. tomo 2. q. 58. art. 3. Gaeg. Lopez l. 65. vers. Mayoral. tit. 5. par.* & afferunt *Gloss. Turrecrem, & Manuel* exemplum Gregorii, qui ex religione promotus in Cardinalem factus est Mauritii Imperatoris compater. Et potest esse ratio, quia, in Episcopo non subest id familiaritatis nimiæ periculum, & inde incontinentiæ. Quamuis *Imol. Clement. 1. num. 21. de stat. monach.* dicat posse dici licere hanc compaternitatem contrahere non suscipiendo, sed baptizando. At hoc nihil speciale esset, cùm cuicumque monacho id liceat.

25 Quarto deducitur, non teneri religiosum creatum Episcopum divinum officium juxta suæ religionis ritum persoluere. Tum quia ea obligatio ex regulæ præscripto consurgit, à quo liber est Episcopus; tum etiam, quia debet suæ Ecclesiæ ritum sequi. Hoc constabit ex dicendis, *num. 38.* ubi id de religioso parocho dicemus, nedum de Episcopo: & ita docent *Abbas c. penult. in fine de vita, & honest. cleriror. Azor. lib. 12. Institut. Moral. c. 7. q. 4.*

26 Demum superest gravis difficultas circa Episcopum, an scilicet, omnia hucusque dicta de exemptione à superiorum religionis obedientia, & ab obseruantiis regularibus, locum habeant in quocumque Episcopo, etsi ad suam diœcesim ire nequeat, vel subditos non habeat, ut Episcopus titularis, seu anularis; vel si Episcopatum jam dimiserit? Et tandem, an habeant locum in Episcopo ab ipso electionis tempore, vel ab hoc requiratur confirmatio, & consecratio? Et quidem loquendo de religioso Episcopo pronunciæ nuper à Turcis occupatæ, & sic subditos habente, quamuis pro tunc in diœcesim adire nequeat, optimè dixit *Navarr. commentar. 3. de regular. num. 46.* non teneri illum redire ad suam religionem, quia jam legitimè ab illa exemptus est; nec etiamsi velit, teneri religiosos illum admittere, ob eamdem rationem: sed teneri ad suum Episcopatum redire, à Turcæ permittant eum cum suis subditis Cristiane viuere. Quare nec tenetur ad alias obseruantias regulares, nisi eo modo, quo alios Episcopos hucusque tenere diximus.

27 De Episcopis autem parentibus subditis, quales sunt annulares, seu titulares, major est difficultas: quia *Hostiens. c. quod Dei timorem n. 9. de de stat. monachor. & ibi Joan. Andr. num. 15. Cardinal. num 5. q. 2.* dicunt religiosum Episcopum non exi i ab obseruantiis regularibus, ratione dignitatis, sed ob animarum bonum, cui intendere totis viribus debet. Ergo cùm ii Episcopi subditis careant, non eximentur. Præterea, quia si eximerentur, peccarent mortaliter religiosi acceptantes hujusmodi Episcopatus, quod admittant dispensationem, & exemptionem ab obseruantiis regularibus, ad quas ex voto tenebantur, absque causa legitima, quæ sola est majus officii pastoralis spirituale bonum, non verò dignitatis præcisè, aut ordinis sine officio. Verùm dicendum est eos eximi instar aliorum Episcoporum, ut benè tradit *Azor. lib. 12. Instit. Moral. tomo 1. c. 10. q. 7. in fine.* Tum quia verè habent subditam diœcesim, quæ quondam erat Christianorum, & à Turcis, & aliis Mauris occupata est; & si permitteretur eos Christiane viuere cum suis subditis: vel si aliquando ab infidelium tyrannide eiiperetur, aut iafideles occupantes admitterent fidem, tenerentur illuc adire. Tum etiam, quia etsi nulla sit hujus aditus moralis spes, sed sola Metaphysica, at creantur hi Episcopi, ut alios habentes oues in pontificalibus adiuuent, ministrando ordines, & confirmationem, visitando diœcesim, & sic saluti animarum vacant. Unde constat utriusque argumenti suprà adducti solutio.

28 Rursus de Episcopo monacho, qui munus Pontificium deponit, controuersia est inter Auctores, quibusdam dicentibus teneri eum ad monasterium redire. Ducuntur, quia Episcopus religiosus tenetur ad obseruantias, quæ nec dedecent, nec munus Episcopale impediunt: at hujusmodi est tunc redire ad monasterium, & ejus Prælatis obsequi. Secundò, quia sic multos sesisse narrant historiæ: immò Cœlestinus V. deposito summo Pontificatu ad monasterium rediit. Tertiò, quia si quispiam religiosus alieni ordinis monasterio præficiatur, & postea eam præfecturam dimittat, ad pristinum monasterium redire compellitur. Quartò, quia voto castitatis ligatus ad nuptias transiens, tenetur soluto matrimonio castitatem seruare, & ab aliis nuptiis abstinere: & si emiserat votum religionis, tenetur tunc illam ingredi, eo quod cessauit jam impedimentum voti exequendi. Ergo, cùm deposito Episcopatu cessauit impedimentum redeundi ad religionem, & ejus obseruantias exequendi, tenebitur ad hoc. Quintò, quia quando dispensatio habet tractum successiuum, cessante ejus causa, extinguitur omninò, ut probavimus *l. 8. de matrim. disp. 30. num. 41.* At hujusmodi est dispensatio cum Episcopo, ne

tenea-

teneatur ad obseruantias regulares, nec ad obediendum Prælatis religionis : eam esse veram dispensationem probat *Metin. lib. 5. de sacr. homin. continent. cap.* 27. Ergo cùm deposito Episcopatu ; causa hujus dispensationis cessarit (quam non esse dignitatem Episcopalem , sed animarum curam , tradunt Doctores citati *numer. præcedenti* initio) cessabit quoque dispensatio , & tenebitur omninò religionis voto , ut priùs tenebatur . Tandem , quia hic non absoluitur à voto obedientiæ, sed per accidens non tenetur obedire Prælatis religionis , quia nullum habet ; qualiter contingit in monacho Generali suæ religionis ; ut expresè docent *D. Thom. Turrecrem. D. Anton. Rosell. Sylvest. Aragon.* allegati *numer.* 2. At Generalis deposito officio , tenetur obedire Prælatis religionis . Ergo & Episcopus , deposito Episcopatu . Hæc sententia est probabilis , illamque sustinent *Paludan.* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 4. *art.* 3. *conclus.* 11. *numer.* 49. *Supplement. Gabriel. ibi quæst.* 1. *art. ult. col. penult.* Et explicant hi duo , se loqui in casu , quo redeat ad claustrum : neuter tamen dicit eum teneri redire ; quare magis videntur favere contrariæ sententiæ . Clariùs tuentur eamdem sententiam *Abulens. cap.* 30. *Numeror. quæst.* 109. *Minor. lib.* 3. *de irregularit c.* 6. *num.* 7. *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. *fol.* 1036. *col.* 1. ubi idem ait de Papa relinquente Pontificatum , *Azor. tomo* 1. *Institut. Moral. lib.* 2. *cap.* 7. *in fine & Fulvius Bacian. concl.* 132. *num.* 60. *volum.* 1. dicit Papam depositum , aut renuntiantem Pontificatui , teneri redire ad religionem : ipse tamen statim *num.* 61. dicit , *quæ an vera sint submitto me determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ* ; *& vide* , inquit *quæ post hæc dixi de probationib. libro* 2. *c.* 34. *n.* 113.

29 At veriùs existimo ad id non teneri , sed manere in perpetuum exemptum , sicut priùs . Ducor , quod ratione dignitatis Episcopalis cum eo legitimè dispensatum sit , exemptusque sit ab obligatione obediendi Prælatis religionis, & observantiarum regularium . At hæc non cessat deposito Episcopatu ; ergo non extinguitur dispensatio : quippe ad ejus extinctionem oportet ut omninò ejus causa cessarit, ut probavimus *lib.* 8. *de matrim. disp.* 30. *num.* 8. At totalis hujus dispensationis causa est, dignitas Episcopalis cum animarum cura . Quamuis ergo cessarit cura animarum , non cessat dignitas , & perfectior status ratione Episcopatus adeptus ; & sic causa partim manet , quod ad conseruandum dispensationis valorem satis est . Nec obstant in contrarium adducta *numer. præced.* Nam ad primum respondetur , religiosum creatum Episcopum teneri ad observantias regulares solo honestatis , & decentiæ debito , ut probavimus *num.* 19. & eodem tenebitur in præsenti casu redire , & ideo non sub aliqua culpa . Ad secundum dico, eos sic fecisse, ut hoc honestatis debitum exequerentur ; at re vera nulla lege ad id tenebantur. Ad tertium , id fateor ; sed non est eadem ratio in Episcopo , quia Præpositus ille tantum eximitur ad tempus præfecturæ , utpote qui ea deposita , exuitur omninò dignitate . At Episcopus eximitur in perpetuum , sicut & dignitas ejus est perpetua . Ad quartum dico , esse disparem rationem , quia cum eis non est dispensatum in illo voto , sed ejus vis omninò manet , licèt obligatio executionis ob vinculum fortiùs superueniens impediatur . At cum Episcopo religioso fit dispensatio in perpetuum , ut dictum est . Ad quintum , constat ex dictis numquam cessare integram causam, propter quam cum Episcopis fit prædicta dispensatio , licèt partialis causa cesset , quæ est cura animarum , quod non sufficit , ut extinguatur dispensatio, ut in eo loco probatum est . Ad ultimum dico , non tenere in omnibus eam similitudinem , sed in hoc tantùm , ut sicut Generalis non eximitur ab obedientiæ voto , eo quod careat superiore in sua religione , sic nec Episcopus eximatur, ob eamdem rationem, ab eo voto . At est differentia quia Generalis dignitas cessat omninò relicto officio , & sic cessat quoque exemptio illi annexa . Sed dignitas Episcopi non cessat deposito Episcopatu . Et ideò hujus sententiæ sunt *Imol. Clem.* 1. *num.* 50. *de elect. Bonifac. Clem.* 1. *num.* 83. *&* 84. *de regularib. Navarr. lib.* 3. *in consil.* 1. *edit. tit. de regularib. cons.* 15. *num.* 11. 12. *&* 13. *in* 2. *tit. de donation. consil.* 6. *num.* 11. 12. *&* 13. *Federic. consil.* 38. *num.* 2. *& consil.* 19. *à nu.* 3. & loquitur etiam utrobique Federicus de monacho translato ad Ecclesiam duratam , *Emanuel Sà summ. verb. Episcopus num.* 11. *Henriq. lib.* 10. *de sacram. ordin. cap.* 32. *nu.* 4. *Manuel Rodrig. Quæst. Regular. tomo* 3. *quæst.* 52. *art.* 26. Et hoc intelligo , siue deponatur ob demeritum , siue ob spontaneam renunciationem , ut loquens de monacho Papa, & utrouis modo deposito , tenet *Pacianus do probation. lib.* 2. *c.* 34. *numer.* 113. Et ratio , quam ille reddit , procedit eodem pacto in Episcopo ; nam ejus ratio est , quia semel liberatus est jugo religionis per Papatum , quamuis manserit verus religiosus.

30 Secus tamen esset , si ex propria culpa ita depositus degradaretur, cùm enim per degradationem exuatur omnibus priuilegiis ratione dignitatis concessis ; cessabit quoque prædictum exemptionis priuilegium , & tenebitur ad religionem redire , ut benè docet *Henriq. numer. præced.* allegatus . Et facit ad hoc; nam si Episcopus ob suam culpam degradetur dignitas, non gaudet dignitatis privilegiis, ut tradit citata *Gloss. authent. constitutio quæ, de dignit. collat.* 6. *Sylvest. verb. religio.* 4. *in fine* .

31 Hinc deduci posset , Episcopum depositum absque prædicta degradatione , redeuntem ad monasterium , indigere nouo obediendi ejus Præpositis voto , aut ut denuo Pontifex , tamquam supremus ejus virtute etiam voti obedientiæ Prælatus , eum subiiciat illis , quò teneatur illis obedire . Hoc est contra sententiam , *num.* 28. relatam : & ita in terminis tenent contrarium *Paludan. & Aragon* , quos ibi pro ea sententia retulimus , quam quoque probabilem esse censuimus . At retenta sententia , quam *num.* 29. tenuimus, est ita sentiendum . Quia cùm omnino exemptus sit ab illorum obedientia , non potest se illis obligare nisi nouo voto , aut si à Prælato suo , qui solus est Pontifex , subiiciatur illis . Sicut nec Prælatus religionis potest sua spontè se subiicere obedientiæ illius, qui suus Prælatus non est , nisi nouo voto emisso . Dices , intendens profiteri secundùm regulam collapsam , nec legitima consuetudine derogatam , & non aliter , liceta ad nil aliud obligetur : at eo ipso quod vult permanere in eo monasterio , tenetur juxta veram regulam viuere ; quia volendo ibi manere , jam acceptat veram regulam , & votum illius , ut dixi cum *Cordub. cap.* 2. *hujus lib. numer.* 28. Ergo idem dicendum est de religioso Episcopo redeunte ad monasterium , & volente illo manere . Respondetur , disparem esse rationem , quia privatus religiosus volens manere in monasterio , tenetur se conformare moribus , & obligationibus aliorum religiosorum : atque ideo eo ipso quod vult manere in claustro , censetur etiam velle assimilari aliis . At religiosus Episcopus ad id non tenetur , quia valde differt ab aliis religiosis in dignitate , ratione cujus exemptus est ab obedientia Prælatorum religionis, nisi specialiter se alicui submittat per nouam obligationem ; & quamvis ille noua professione non indigeat , quia semper mansit verus religiosus , & ligatus votis substantialibus, ut explicatum est; at cùm manserit exemptus à potestate Prælatorum religionis ratione dignitatis Episcopalis, necesse est, ut suo favori renunciet se illis denuo subiiciendo .

32 Tandem dubitatur , à quo tempore Episcopus religiosus eximatur ab obedientia Prælatorum regularium , & à debito legali observantiarum religionis . Videtur enim à tempore electionis, ut constat ex *c. unico* 18. *q.* 1. ubi habito sermone de Episcopo religioso , sic dicitur . *Monachus , quem canonicè electio à jugo regulæ monasticæ professionis absolvit Gloss.* 18. *q.* 1. *in finem , verb. certum est* , ait cum Hugone , dici prisè eum monachum non desinere acquirere monasterio, & incipere acquirere Ecclesiæ , donec possessionem Episcopatus adeptus sit : & probat , quia miles transiens de uno numero ad alium , non dicitur priùs esse de secundo numero, quàm perveniat ad eum *l. ex eo tempore ff. de milit. testam.* Verùm existimo, exemptionem hanc locum habere à die confirmationis : unde cùm textùs dicit cum per electione canonicam liberari à jugo regulæ , debet intelligi confirmatam à Papa , ut optimè ait *Leonard. lib.* 2. *de just. c.* 40. *dub.* 14. *num* 113. Ducor autem ad id , quia ex die confirmationis est contractum matrimonium inter ipsum , & Ecclesiam: & ita est sub speciali Romani Pontificis protectione , & absque speciali ejus licentia retrocedere nequit, & ex tunc jurisdictionem Episcopalem exercere valet. Ergo tunc ita censetur Pontifici subjectus , ut eximatur à superiorum cæterorum obedientia , & à jugo monasticæ regulæ. Quod verò à confirmatione maneat sub speciali protectione Romani Pontificis, expresè deducitur in *c. inter corporalia , de translat. Episcopor. vers. sicut enim* ,

33 Sicut autem Episcopus religiosus liber est ab omnibus regulæ observantiis , jugoque monasticæ disciplinæ , ita quoque privilegiis suis religionis non gaudet ; ut benè docet *Mandos. de privileg. ad istar. Glossa* 3. *numer.* 11. *& Manuel Rodrig.* 2. *regular. q.* 58. *art.* 4. & affert proprium motum Sixsti IV.

34 Quæ hactenus de religioso Episcopo diximus , credo esse vera de religioso promoto ad Cardinalatum : eum enim non absolvi à tribus votis, & ita non acquirere dominium, nec testari posse, affirmant *Bald. auten. licent. n.* 3. *C. de Episcop. & cleric. & ibi Paul. nu.* 2. & constat ex dictis *num.* 6. ubi nec Papam ab iis votis absolvi diximus quamvis *Metin. de sacr. hom. contin. c.* 26. *col.* 3. asserat eos liberari voto paupertatis , quippe idem sentit ibi de Episcopis : & sic de ipsis Episcopis diximus , *numer.* 7. id esse probabile. Idem sentiendum est de Cardinalibus , & ab aliis votis emissis in religione juxta ejus institutum liberatur quoque religiosus Cardinalis, sicut idem probavimus , *numer,* 15. de Episcopo . Et ratio horum est , quia Cardinales in suis titulis habent jurisdictionem quasi Episcopalem , ut cum *Cardinali Imola , & Felinus* sustinent *Riminald. junior cons.* 341. *numero* 46. *volum.* 3. idem quod *Baldus* , & *Paulus* promixè adducti : docent etiam *Fulvius Pacianus consil.* 132. *numer.* 49. 53. & 54. *vol.* 1. *Guillelm. Redoo. de spoliis ecclesiastic. quæst.* 3. §. *fin. numer.* 14. & 15. habetur *tomo* 14. *tractat. Guillelm. Benedict. in cap. Raynutius verb. mortuo itaque testatore el* 1. *num.* 301. *Imo l. si quis mihi bona* , §. *si servus in fine* , *ff. de acquirend. hæredit. Gratian. regul.* 456. *numer.* 2. *Nicol. de Ubaldis de success. ab intest.* ubi de successione regular. *p.* 1. *n.* 4. *Graffis* 2. *par. decision. lib.* 3. *cap.* 19. *numer.* 89. *Fran. rubr. de testam. in* 6. *numer.* 76. *quæst.* 15. *Tapia authen. ingressi verb. ideoque nec de his cap. unic. num.* 33. *C. de sacrosanct. Eccl. Manuel Rodrig. qq. regul. tomo* 2. *quæst.* 54. *art.* 7. & alii plures . Tenentur etiam prædicti religiosi Cardinales portare habitum suæ religionis ; quod tenent *Franc. eo numer.* 76. *q.* 15. *Fluvi. Pacian.*

*Pacian. cons.*132. *num.* 39. *&* 40. *volum.* 1. *Sotus & Angles allegati numer.* 22. solum enim Romanum Pontificem ab hac obligatione eximunt : idem etiam docet *Manuel eo artic.* 7. Cæterùm cum habitum deponens non incurret excommunicationem, sicut idem probavimus *numero* 23. *de Episcop.* contra ibi allegatos, & tenent *Bonifac. Clement.* 1. §. *rursus numer.* 33. & 34. *de statu monachorum*. Possunt etiam in baptismo, vel confirmatione esse susceptores , & sic compatres, quamvis simplicibus religiosis id sit interdictum; sicut de religioso Episcopo probavimus *numer.* 24. & id tenent *Gloss. cap. unico , verb. absolut.* 18. *quæst.* 1. & ibi *Turrecremata , num.* 2. *Manuel eo qu.* 58. *art.* 3. qui ad probandum id licere Episcopo religioso, afferunt exemplum Gregorii , qui ex monacho creatus Cardinalis id munus obiuit ; & ratio ibi tradita idem probat . Ab obedientia autem superiorum religionis soli Pontificis subjectus manens, & à reliquis obseruantiis regularibus absoluitur quoad debitum legale : soloque honestatis debito ad nullam culpam adstringenti tenetur ad eas , quæ nec impediunt officium , nec dedecent dignitatem , sicut idem probavimus de Episcopo . Atque ita clarè sentit *Azor. tomo primo , lib.* 12. *institutionum moralium , cap.* 7. *quæst.* 4. ubi quæstionem proponit , an monachus in Episcopum, vel in Cardinalem promotus liberetur religionis oneribus, & statutis? Et quamvis in responsione solùm loquatur de Episcopo ; videtur clarè idem supponere dicendum de Cardinali . Idemque videntur sentire Doctores proximè allegati, cùm quoad vota , habitum , & potestatem tenendi in baptismo , loquantur eodem modo de religioso Cardinali , & de eodem religioso Episcopo . Et praxis Ecclesiæ ita testatur ; & *Franc. eodem num.* 76. *quæst.* 15. *& Manuel eo quæst.* 58. *artic. septimo* , dicunt religiosum Cardinalem eximi eodem modo à regulis, sicut Episcopum religiosum .

35 Atque eadem credo esse dicenda de religioso promoto in Abbatem , aliamve dignitatem habentem propriam diœcesim nulli Episcopo subjectam , sed in ea gaudente plena jurisdictione Episcopali . Ducor ad id (quamvis nihil apud Doctores repererim) quia hujusmodi Prælati sunt in omnibus similes Episcopis , solaque consecratione ab eis distant ; & sic in spectantibus ad ordinis Episcopalis potestatem omnia , quæ de Episcopis dicuntur , præter ea , quæ sunt ordinis Episcopalis , dicuntur quoque de Abbatibus . & Prælatis his , præter unum , vel alterum , in quo est specialis difficultas propter specialem juris prohibitionem : ut circa potestatem dandi litteras commendatitias ad ordines suscipiendos .

36 Tandem de religioso promoto ad beneficium parochiale alicujus Ecclesiæ, concordant omnes Auctores citandi, teneri eum votis religionis, & præcepto portandi habitum ; nam & de Episcopo idem fatentur. Quoad obedientiam verò Prælatorum religionis sic distinguunt communiter Auctores. Si Ecclesia illa nullatenus subjiciatur Prælatis monasterii , eximitur ille religiosus ab obedientia Prælatorum religionis *cap. parochus* 16. *quæst.* 1. sed subjectus manet imperio Episcopi , qui de cætero erit suus Abbas . Si verò subjiciatur Prælatis religionis quoad sola temporalia , eximitur quoad spiritualia ab illorum obedientia *cap. visis , & c. sane* 16. *quæst.* 2. Si verò eis subjecta sit quoad spiritualia , solùm eximitur quoad temporalia . Si verò sit subjecta quoad omnia , manet plenè illis subjectus . Ita docent *Goffred. sum. de statu monachorum num.* 4. *& ibi Hostiens. in sua summa numero* 5. *Angel. verb. monachus , num.* 7. *& ibi Rosell. num.* 5. *& ibi Tabiena qu.* 5. *num.* 6. *Henric. cap. cum ad monasterium numero* 8. *de statu monachorum l.* 26. *& ibi Gregorius Lopez , verb. proprio , tit. septimo , parte prima , Sylvest. verb. religio* 7. *qu.* 11. *Antonius Cucus lib.* 3. *institutionum moralium , tit.* 1. *numero* 158. *& Manuel* (licet non ita plenè) *qq. regular. tomo* 1. *qu.* 34. *art.* 6. Circa reliquas autem observantias regulares, dicunt *Hostiens. Goffred. & Manuel* eum absolvi à vigiliis, silentio , & abstinentiis, quæ in Ecclesia parochiali commodè servari nequeunt. De abstinentia autem carnium, dicunt non absolvi , nisi in casu necessitatis , vel quando absque scandalo ab eis abstinere nequit , vel quando caret socio sui ordinis, per *cap. nemo potest* 16. *qu.* 1. At meliùs *Sylestr. & Angel.* asserunt considerata ratione illius textus, breviter esse dicendum , hujusmodi parochum ab iis solùm observantiis regularibus absolvi , quæ in Ecclesia sæculari, unà cum parochiali munere commodè servari nequeunt ; tenerique illum ad eas observantias , quæ potiùs adjuvant , vel non impediunt id munus. Et ita etiam generaliter docent *Hostiens. capit. quod Dei timorem , numero* 9. *de statu monachorum , & ibi Joann. Andr. numero* 15. *Gardinal. num.* 5. *qu.* 2. *Azor. libro* 12. *institutionum moralium , capit.* 19. *quæst.* 15. & in casu, in quo tenetur ad observantias regulares , credo eum teneri debito legali, subjacereque pœnis regulæ , quia in parocho non militat ratio , quam de Episcopo tradidimus *numero* 18. & 19. ut eum à pœnis , & obligatione legali eximamus, utpotè qui non est in statu magistri perfectionis constitutus , nec omninò à jugo monasticæ regulæ absolutus : & ita si deponat habitum religionis , incurret excommunicationem *cap.* 2. *ne clericj. vel monach. in* 6. ut benè docent *D. Anton.* 3. *p. tit.* 15. *capit.* 5. *in fine principii , & Sylvest.* suprà citatus , & à fortiori alii adducti *numero* 23. qui id docent de Episcopo . Credo etiam eum deposito officio parochi teneri ad suum monasterium redire , & obedire instar cæterorum, quia exemptio illa non est ratione alicujus dignitatis, ut in Episcopo , & Cardinalibus, sed ratione solius officii , quod nunc cessat : & ideo maximè verum est , quod in Episcopo deposito , vel renunciante , id est satis dubium ; & multi docent teneri redire , quos retuli *num.* 28. & rationes illorum militant in parocho , quamvis *Navarr. lib.* 3. *consiliorum , tit. de regularib. in* 2. *edit. consil.* 79. *num.* 2. *& Manuel qq. regular. tomo primo , quæst.* 30. *articulo* 20. dicant hunc nec depositum , nec renunciantem teneri redire.

37 Quod si hic religiosus parochus indigeat dispensatione in aliquo regulæ statuto , si Ecclesia sit plenè subjecta , aut saltem quoad ipiritualia Prælato Religionis , ille dispensabit. Si autem sit hoc modo subjecta Episcopo , dispensabit Episcopus , qui est suus Abbas *cap. si quis monachus* 16. *quæst.* 1. Sic *Sylvest. verb. religio* 7. *q.* 12. *Angel. verb. monachus , n.* 7. *& ibi Tabien. q.* 6. *n.* 7. Si verò Ecclesia illa sit exempta , dicunt *Angel. & Tabiena* recurrendum esse ad Pontificem . At meliùs ait *Sylvest.* posse ipsum secum dispensare , sicut potest secum Prælatus religionis ; & hoc dicit satis probabile *Tabiena* ibi .

38 Hinc deducitur, eum absolvi ab officio divino juxta ritum suæ religionis persolvendo . Illud enim juxta ritum suæ Ecclesiæ persolvere . Ita docet *Goffred. sum. tit. de stat. monach. num.* 4. *Hostiens. cap. quod Dei timorem , num.* 9. *de stat. monachor. & ibi Joann. Andr. n.* 15. *Cardin. num.* 5. *q.* 2. *Anchar. n.* 10. *Rosel. verb. Monach. n.* 5. *Manuel num. præced.* allegatus , & omnes .

39 Sed dubitatur , an religiosus hic parochialis Ecclesiæ præfectus teneatur habere socium sui ordinis . Quæ difficultas pendet ex intellectu textus *cap.* 2. *de statu monachor.* ubi decernitur , ne singuli monachi per villas , & oppida quibuscumque parochialibus præficiantur Ecclesiis : *& capit. quod Dei timorem , eodem tit.* ubi inter monachos , & canonicos regulares id discriminis constitui videtur , ut illi socium necessariò habere debeant , si autem solùm quando illum commodè habere potuerint . Qua in re variæ sunt sententiæ ; quidam dicunt monachos non esse promovendos sine socio sui ordinis , secus de canonicis regularibus , nisi hi quoque commodè illum habere potuerint . Sic *Gloss. eo cap. quod Dei timorem verb. regimen* . Alii dicunt idem de utrisque esse dicendum , ut solùm teneantur habere socium , quando commodè fieri potest , secus , quando non potest commodè fieri , ut quia is nequit reperiri , aut Ecclesia non est utrique alendo : & ad *prædictum c.* 2. respondent id intelligendum tam de monachis , quàm de canonicis regularibus, qui soli ad morandum in villis , vel in parochiis constitui non debent : secus si ad regendum populum instituantur ; tunc enim idem in utrisque , si commodè potest servari debet , & aliàs non. Quare differentia constituta (juxta hos auctores) *in d. c. cum Dei timorem* , in eo consistit , quod faciliùs concedatur cura parochiæ canonicis regularibus , quàm monachis, eo quod illi laxiori regulæ subdantur . Ita sentiunt *Hostiens. summ. tit. de stat. monachor. num.* 7. *& d. cap. quod Dei timorem , num.* 11. *vers. si commodè & ibi Henric. num.* 6. *&* 7. *Goffred. & Hugo* per ipsum allegati. Alii sic distinguunt, aut Ecclesia est monasterio plenè subjecta , ita ut parochus illius possit ad nutum Abbatis revocari ad monasterium , & tunc necessariò habere debet socium sui ordinis , & ita intelliguntur prædicti duo textus . Aut non est subjecta , & tunc non est necessarius sui ordinis socius , quia cum religiosus ille Abbati non subjiciatur , non est cur ei socium dare debeat . Ita sentiunt *Gloss. Clement.* 1. §. *adhuc verb. ad claustrum , de stat. monach. & ibi Cardin. n.* 1. *opposit.* 4. *& ibi Anchar. num.* 32. *q.* 26. *idem Cardin. d. c. quod Dei timorem , num.* 6. *qu.* 4. *& ibi Anchar. num.* 9. *& ibi Joann. Andr. n.* 17. & clariùs *cap. fin. num.* 1. *&* 2. *de cappellis monachor.* ubi & *Antonius num.* 4. & eamdem tenet *l.* 24. *tit.* 7. *p.* 1. *& Gregor. super verb. con otros , & libro* 25. *sequ. verb. non le deven.* limitans hanc posteriorem partem , quando commodè socius haberi nequit , *idem Anton.* proximè. Et hanc opinionem fatetur *Abbas eo capit. quod Dei timorem , n.* 9. sæpius olim se fuisse secutum : & eam tenent *Anton Cuc. lib.* 3. *institutionum tit.* 1. *num.* 159. *Azor. lib.* 12. *eo cap.* 19. *q.* 14. Cæterùm verius est , monachos in utroque casu teneri habere socium sui ordinis: at canonicos regulares non semper , sed quando commodè habere possint , quia hæc differentia clarè constituitur inter utrosque *d. cap. quod Dei timorem* , ubi agebatur de promotione perpetua , & decidit , ne monachus sine socio Ecclesiæ præficiatur , juxta decisionem Concilii Lateranensis relatam *in dict. cap.* 2. Præterea , quia *in d. c.* 2. dicitur , *per quascumque parochias* ; & cùm dictio illa , *quascumque* , sit universalis , omnes parochias complectitur . Et ita hanc primam partem tenet *Abbas eo capit. quod Dei timorem , num.* 9. *lib.* 30. *in fin. titulo* 7. *part.* 1.